ALIDIUS, Carolus Antonius. **Somnia medica varia doctrina referta nedum medicis,** verum et infirmis, atque omnibus viventibus scitu necessaria; ubi quaestiones multae, seu animadversiones ab antiquis, et recentioribus medicis partim omissae, partim non integre solutae, partimque vetustate sepultae, proponuntur ac enodantur. 4 leaves, 160 pp. 4to. Gilt wrappers. Laudae (Lodi), 1720. Fr. 12. —

Some of the chapters: De essentia et existentia medicinae; an matrimonium condeceat corporis salutem; de natura hydropis; epilepsia, astma particulare; animi affectus quomodo laedant corpus; artritidis curatio; de Kinae Kinae effectibus; de podagra.

10663/B

E.XV.e
18

AA 2373

B46 ###

4 leaves
160 pp.
Coll.: J.G.

XIII

47952

SOMNIA MEDICA
VARIA DOCTRINA REFERTA

Nedum Medicis, verùm & Infirmis, atque omnibus viventibus ſcitu neceſſaria,

UBI

Quæſtiones multæ, ſeu animadverſiones ab Antiquis, & Recentioribus Medicis partim omiſſæ, partim non integrè ſolutæ, partimque vetuſtate ſepultæ, proponuntur, ac enodantur

QUÆ

Medicinæ Practicæ in Civitate Laudenſi Profeſſor
DOCTOR CAROLUS ANTONIUS ALIDIUS

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO COMITI

D. JOSEPH ANTONIO AB ODUYER

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Generali, Gubernatori Albæ Grecæ, ac finitimorum terminorum Serviæ, & Chiliarchæ pedeſtris Regiminis, nec non bonorum ſtudiorum fautori ac promotori ſingulari

D. D. D.

LAUDÆ, MDCCXX.

Typis Caroli Joſephi Aſtorini Seveſi Impreſs. Epiſc., & Civitatis.
SUPERIORUM PERMISSU.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine Domine.

NON excidit memoriæ meæ Excellentiſs. D. (& adhuc vix conſolabili agitor dolore tuum ob ex Italia diſceſſum) te Pannoniam profecturum omnis generis utriuſque Medicinæ ex labore, an ex fortuna expertas remediorum formulas petiiſſe; Quapropter ut mandatis tuis (ita ut condixi) præſto ſim, tranſmitto tibi nonnulla longa obſervatione, ac meditato ſtudio congeſta, quæ temporis anguſtia exarari potuerunt, ut illis, & in Caſtris Cæſarianis & Pannoniæ Provinciis, magno Mortalium commodo uti imperes, & faxit Deus, ut & in Statu Mediolani hæc ipſa tandem mandare valeas. Duplici quoque jure Excell. tuam hujus Opuſculi Patronum, & Mecænatem me eligere decebat, cum

ſiquidem ut Excell. tuæ erga me beneficentiæ teſtimonium declararem, tum quia ob eximias, atque heroicas animi tui dotes, quibus in maximarum artium cognitione excellis, & naturalis Philoſophiæ lectione plurimum voluptatis capere ſoles, tu ipſe oculis propriis, auribus non alienis curvum poſſis diſcernere à recto, qui de litteris, ac litterarum Profeſſoribus ſemper benemeritus fuiſti. Submiſsè propterea peto Excell. tuam, ut haſce elucubrationes meas, ac conatus mei primitias, ſtudii, ac ſubmiſſæ obſervantiæ monumentum ſub honoratiſſimo Excell. tuæ nominis ſplendore, ac patrocinio tutas in publicum prodire patiaris, eaſque benigno vultu, ſerena fronte ſuſcipere, ac me tuæ benignitatis favore, ſicut hucùſque clementer feciſti, impoſterum quoque amplecti, tibique comendatum habere non dedigneris: Nomen tuum nulli oblivioni obnoxium, quo inſigniri hoc Opuſculum volui, ab injuria calumniantium vindicare ſat poterit, & ſi improbi ſophiſtæ naturali calumniandi inſania perciti, iſtud arrodere tentabunt, ipſum contra te factum putato, cujus etiam in ſomniis parere cucurri mandatis, namque confido ut cujus fueris excitator, ejuſdem ſis futurus & vindex, cum ſoleas beneficia tua novis cumulata beneficiis tueri. Excipe igitur inclyta ODOARDORUM progenie ſatus, antiquiſque Heroicis geſtis recentia inſere facinora & te diu in illis, ut illa in te vivere videantur. Tu qui inſigni pietate, maxima prudentia, ſingulari eruditione, incredibili humanitate in Ibernia, in Hiſpania, in Italia, in Pan-

nonia præclariſſimus prædicaris. Tu qui duodecim diverſarum linguarum facundia undequàque cales; Tu qui, quamvis innumeris, & glorioſis vulneribus corpus inſignitum geras, atque à planta pedum ad verticem capitis inſignia tuæ generoſitatis geſtes, majores tamen in tui decus palmas per totum terrarum Orbem divulgatas oſtentas: Tu qui in graviſſimis, ac continuis curis ad Dei honorem, & Auguſtiſſimi Imperatoris Noſtri gloriam, nec non ad rectam ubique locorum juſtitiam diu, noctuque enixè verſaris, Vale, & quamvis pretioſiore munere dignus ſis, tuaque virtus majora mereatur, hoc excipe tui divictiſſimi Clientis munuſculum, & hoc interim, dum te noſtris in Regionibus publicæ utilitati, (quæ te una mecum adhuc tacito ſuſpirant pectore reducem) exopto, atque enixè rogo, accipe omen obſequii, & venerationis meæ. Vale inquam optime Mecænas, Neſtoreos annos ad Dei gloriam, ad Evangelii propagationem, ac Sacri Romani Imperii defenſionem, atque ad totius Orbis commodum vive, ac ſub indeſinenti Divinæ protectionis patrocinio ſemper & fæliciſſimè Vive.

EXCELL. TUÆ

Datum Laudæ die 28. menſis Septembris anni 1720.

Humill., Obſequentiſs., & Addictiſs. Clieni
Carolus Antonius Alidius.

De

De Mandato Admod. Rev. Patris Magiſtri Pauli Mariæ Boldi Vicarii Generalis S. Officii Laudæ, Ego infraſcriptus Reviſor Librorum S. Officii Laudæ Librum hunc, cujus titulus eſt SOMNIA MEDICA, Auct. Egr. Viro CAROLO ANTONIO ALIDIO, diligenter, & accuratiſſimè perlegi, nihilque in illo inveni quod non ſit optimum, ac Religioni Catholicæ conſonum, propterea publica luce dignum, Typiſque dandum mereri judico. Ita eſt Joſeph Cavallerius Rector SS. Viti, & Modeſti Laudæ, Reviſor ut ſupra.

Stante prædicta atteſtatione

IMPRIMATUR

P. F. Paulus Maria Boldi Sac. Theol. Magiſter Vicarius Generalis S. Officii Laudæ.

P. A. Griffinus Vic. Gen.

Suarez de Ovalle pro Excell. Mediol. Senatu.

CANDIDIDISSIMO LECTORI SALUTEM.

INfelix ſiquidem ingenium meum hucuſque ſtuduit juvandi genio ſe æquare, ſed cum ars ſumma ſit, atque ingenium ultrà artem eſſe non poſſit, miſerrima voluntas mea infra ingenii vires ſubſiſtere cogitur; Excipe tamen, humaniſſime, quamvis perexiguum quod eſt à me aquiſitum, iſtiſque, qualiacunque fuerint, fruere ſomniis. Fortaſſis utilius mihi dormiſſe fuiſſet, quam imperitiæ meæ Orbem teſtem facere, nam non ideo pelago ſe credere debet, ſi quæ audet Cymba ludere in exiguo lacu; Excuſabor tamen, non jactantiam, ſed obſequium me ſcribendo initum enuncians, quod lubens ſuſcepi Mortalium curis auxiliaturus; An novi aliquid afferam quærere deſine! (nihil enim ſub Cœlo novum) Quemnam in finem conſcripſerim, ex ſcriptis argue; Neminem edocere intendo, omnibus prodeſſe cupio, Utique Quæſtiones aliquas ab Antiquis, & Recentioribus Medicis partim omiſſas, partim non undequàque ſolutas, partimque vetuſtate ſepultas proponere, ac enodare ſtudui, nonnullaſque obſervationes Iſtorico Medicas ſatis curioſas (quas ignorare fermè detrimentum eſſet) ſtudioſè concinare elaboravi, ſemper tamen relictis rivulis, Medicinæ fontes ſectari ſategi. Si me coctam ab aliis crambem quandoque recoquere videris, ne mireris! nam & ipſi Concionatores eamdem prorſus vocem diverſis à ſuggeſtis ad criminis excidium intendunt, ac melle ſaporata, & medicata frugibus offa, guſtum dulcedine afficit perpetuò. Si illo oculo gauderem, quem fatuus quidam maximopere Medico neceſſarium in ſummitate digiti prodidit, ut ano per ipſum illuſtrato explorentur morbi, eorumque ſedes internæ, utique meliora tibi ſpondere valerem; Hoc interim exiguum colito, nec mordeas ut in ſilentio Serpens, neque Judæorum more te geras, qui prætereuntes blaſphemabant moventes capita ſua; Atque ne animi mei motu, neque ulla mentis elatione me in hoc opus inductum arbitreris, & cauſam tibi aperio, & antequam progrediaris, ut hujus Opuſculi caput nonageſimum nonum videas, precor, ubi, te ad beneficium quoque tui hoc libro uti poſſe, invenies; Vale.

In Librum D. Phyſici Caroli Antonii Alidii, cui inſcriptus eſt titulus SOMNIA MEDICA.

EPIGRAMMA.

SOmnia, quæ vanas pingunt in imagine formas,
Nunc more inſolito non niſi vera ferunt.

Quam fecere omnes Calamus plus fecit ALIDI,
Scripſerat hic etenim non meditata prius.

ODUYERTO Duce, nil mirum ſub ſydere tanto,
Primus ad ignotas ſi docet ire plagas.

B. Trovattus.

Excellentiſs., & Doctiſſimo Viro D. Carolo Antonio Alydio Phyſico Laudenſi, Collegio Illuſtriſs. DD. Phyſicorum Mediol. Com:, & Equitum Pontificio Cæſareor. Aggregato.

DYSTICON.

NUnc lapide A'lydio quæ ſit Medicina probatur;
Si Medicina juvat plus juvat iſte lapis.

P. H. Bimius.

I. Indu-

I.

Inductio ad Opus.

SUadentibus mihi ſomnum prima diei luce lenibus Auris, ac in dulcem ſomnum me abeunte Generoſiſſimus meus Mecænas Excell. D. Comes AB ODUYER viſus eſt mihi me ità ad gloriam proritare. Somniculoſe quid agis? Speras ne mollis in otii gremio vivens apicem gloriæ? Vir excelſus animo, neſcit vulgaria, haberiquè inter Communes homines non patitur. Reſpuit noctis quietem, qui diem gloriæ cupit; Terrarum Orbis arma capit, & tù deſes dormis? Evagina enſem tuum ad generis humani conſervationem; ſi me tibi Amicum cupis, ſudoribus, niſibus non parcas: Subeant mentem tuam Apes, ignavum fucum ab Alveariis arcentes, paulò, minùſque quam incurioſum Agnum te dicam, ſi Civitas una duntaxat labores tuos excipiet, ubi plurimæ poſcunt auxilium. Sequere me: Hæc ego mihi viſus ſum dormiens audire, & indè ex lecto trahi ad Pharmacopolia, & Xenodochia, in quibus & piſtillorum ſtrepitu, & miſerorum languentium clamore excitatus ſomno, veritatem intellexi. Judicavi ab Equite eximio prudentia non vocari in arma virum, quem non Mars in Caſtris ad prælia, ſed Apollo in ſcholis ad artem Medicam erudivit; Credidi ab Equite miſerato jacturam virorum, quos aut ferrum hoſtile obtruncavit, aut Parca crudelis immaturos falce recidit, me in viventibus ad reparandas ruinas excogitatis inventis excitari. Itàque ego, cui ſemper fuit gerendi moris tam eximio viro cupiditas, auſcultare ei decrevi, & opus incæpi; verùm ab opere vix incepto, quod ſomnii fallacis illecebra ſuaſerat manum, & mentem abduxi, arbitratus ſomnia eſſe vana, & tenuitatem ingenii mei indignam, quam fulgor eximiæ virtutis reſpiceret: Quoque me ab opere deterruit cenſura, quæ manet illos, qui ſcioli fatigatis typis autumant ſapientes videri, & illos, qui verè ſapientes nituntur ingeniorum ſuorum Monumentis publicè utilitati conſulere; Itàque diù exulavit mente ſomnium, & ex voluntate ſtudium, quod præſtantiſſimi Viri dignitas excitaverat; Attamen poſt aliquot dies

contigit, ut gravatus laboribus, quos pro munere meo ſubire oportebat in ſomnum concederem, & ecce iterum in ſomno Excell. ejuſdem mei Mecænatis Imago, & vox minax; Adhuc dormis, ò deſes? Hæc ne fidelitas, quam mihi deſpondiſti? Cenſuram forſitan metuis? Abige timorem; Mihi vis illa eſt, qua te dicacium à dentibus prohibeam; Subibit pænam Zoilus ille, qui ex ingenii tui obtrectatione laudem ſibi voluerit aucupare; Deſidem Momum puniam, qui curioſis oculis opus tuum contemplatus, te, & voluntatem meam carpet; Vade, age non ut Judex, ſed ut Phyſicus; Effinge aliquid, & excude quod ſit perpetuò tuum, quod nunquam tuum deſinet eſſe ſi ſemel cæperit. Ita deſpondente, & minitante ipſo, confeſtim gloriæ cupidine tactus, altiùs iter egi, ſed verſans diù quid ferre recuſent, quid valeant humeri, dixi, altum alii teneant, flagitabo tantum remoto linteo oſtendi picturam.

II.

De Eſſentia, & Exiſtentia Medicinæ.

DEreliċta Patria hominum ſepulcro, Anaxagoræ Regis veſtigia premens, vitam in Campis, ubi immenſi corporis pulcritudo diſtinguitur aliquando traduxeram: Ruris ſterilitatem pertæſus, Medicina an exiſteret, quærens Parnaſſum petii. En ſubito Deucalion à nuda Montis ſummitate Genus humanum oſſibus magnæ Matris poſt tergum projectis reſtaurans. Gymnaſium iſtud Poetarum eſſe cognoſcens, pedem abduxi, vultumque Zenonis arboris ſtipiti inſidentis ſubivi, qui homines quos ad Phyloſophiam erudierat, in lapides converterat, celeritate & ab iſto diſcedens, ulteriùs progreſſus, tandem Æſculapio prognatum inveni, qui validos homines ſervare, & labentes reſtituere aſſueverat: Hunc colere decrevi, quem conſimiles in accentus prorumpere audieram: Medicina merum eſt Donum Dei, ſcilicet eſt creata, & incarnata miſericordia à Patre Cæleſti egentibus, & ærumnoſis Mortalibus erogata, ut Patiens ægrotus ſenſibiliter videat, & experiatur benignum erga ſe in afflictionibus ſuis Creatoris ſui amorem, miſericordiam, & auxilium, ſicque Deus in ſuis Mirabilibus glorificetur: Medicina inquam eſt Scientia, qua omnes humani Corporis indiſpoſitiones tolluntur, nec ullus in

ſpecie morbus eſt, qui per illam curari non poſſit. Qui Medicinam, dum ſani ſunt, parvi faciunt, neque pauci ſunt, neque ignobiles, imprudentes, tamen haud dubiè ſunt. Natura ipſa benigna rerum parens, providens, & ſagax, dedit egentibus brutis animantibus naturali inſtinctù naturalem remediorum cognitionem; Fatui ergo, & ſtolidi judicii foret, maximum illum rerum Conditorem hominibus hæc occulta fore voluiſſe, nam fruſtrà creaſſet præſertim cum Animantibus intellectù carentibus hæc fecerit maniſeſtiſſima: His dictis cum multi eſſent cum illo tùm forma, tùm moribus ſimiles, atque cuicumque daretur dicendi locus, illorum unus ſurrexit dicens.

III.

Vitam, per Medicinam prorogari poſſe probatur.

NEquaquam plangere deberent Chriſtiani Vitæ brevitatem, qui cum veram vitam perpetuum Carnis ſupplicium eſſe ſciant, tum mortem introitum ad vitam ſperant, noſtramque de vitæ brevitate quærimoniam ſatis mendacem prodidit & ipſe Seneca: Attamen cum non paucos ex Animantibus, depoſitis antiquis exuviis, ætatem ſuam renovare, ac juveneſcere videam; Aquilam abiectione pennarum Senectam deponere, & juventutem recuperare: Angues membranam vernationis relinquere, iiſque aliam renaſci, dùm renovantur. Gammaros, & Cancros Vere, & Autumno Senectam exuere, annuamque cruſtam deponere: Cervum ſentientem ſe gravatum ſenectute, Spiritu ſuo per nares munifico naturæ beneficio à cavernis Serpentes etiam renitentes, & pedibus conculcando enectos vorare, ac ſuperata Veneni pernicie illorum pabulo reparari, ac juveneſcere; Idcircò poſſe, & homines per medicam artem longævam vitam efficere nobis quoque credendum: Hoc brutis Animalibus conceſſum eſt, quidni ipſi homini ad imaginem Dei creato, & intelligenti poſſibile erit? Plantæ depoſitis foliis, & floribus iterum areſcentes reviréſcunt; Quare natura humana abſoluto juventutis, adoleſcentiæ, & virilitatis curriculo, deficientes poteſtates, ab interitù vindicare non valebit, atque eaſdem reſtituere in vigorem juvenilem? Hominis

nis materia eſt extractum quatuor Elementorum habens familiaritatem quamdam cum omnibus Elementis, ſine quibus vivere non poteſt; Mutationes, quæ in Macrocoſmo fiunt, ſuccedunt & in Microcoſmo, nec quid ſuccedit in Mundo, cujus proprietas etiam in homine non fiat; Quid igitur obſtat, quin mondanam Anotomiam cum Microcoſmi anotomia debitè conferre non poſſimus, & Macrocoſmi tanquam parentis diſpoſitionem cum Microcoſmo Filio, ſcilicet homini, accomodare non valeamus, quæque vegetantibus, atque animantibus indidit Pater Luminum, & homo excollere, atque cum illis adoleſcere, & fructus ſuos reciproca viciſſitudine cum illis conferre non poſſit; Eadem eſt materia hominis, ac Brutorum, & vegetabilium; Si ſingulis diebus redintegrare poſſemus quotidianam Elementorum depauperationem, temperiemque ex illis reſultantem ſervare, quid obſtaret, quin ad longum tempus, immo ad centenos Annos vitam producere non valeremus: Sola hucuſque deeſt cognitio medii, quod per medicinam obtineri nequaquam impoſſibile erit; Medicina eſt adiectio deficientium, & detractio redundantium, totum in eo conſiſtit negotium, ut ſupervacaneum demere, & mancum addere ſtudeamus; Verùm ad Valetudinem præſentem ſervandam regulas certas Medicina tribuit recto ab uſu ſex rerum non naturalium ervendas, quæ ſi debita proportione, & congruenti analogia reſpondeant membris, ſpiritibus, & humoribus ut ſimilia ſimilibus conſerventur, longævam ſalutem, ac ætatem nobis pollicentur: Salutem itidem ad amiſſam aquirendam, quærit, & perſcrutatur Medicina abſque errore, morborum eſſentiam, cauſas, accidentia, & ex iſtis, quod magis urget, certa habet ſigna, ne decipiatur, demetitur morbi principia augmenta, ſtatum, & declinationem, & congruo prognoſtico illum è corpore eliminat, ſeu eliminaret, ſi exactè perpenderet omnes quantumvis minimas ætatis, temporis, temperamenti, morbi, & virium circumſtantias: Propterea non deſunt celebres Auctores, qui auctoritate, & experientia confirmant Medicum arte ſua vitam longævam reddere poſſe. Marſilius Ficinus de Sanitate Studioſor. tuend., & de Senect. retard., artis virtute non ſolùm homines validos, ſed etiam valetudinarios vitam in ultimam Senectutem protraxiſſe ait. Plato, & Ariſtoteles, Herodiacum quemdam omnium infirmiſſimum ope artis annum ferè centeſimum attigiſſe referunt. Idem teſtatur Plutarchus; Idemque evenit Leoniceno famoſiſſimo, qui licet in anno 30., referente Montano, inciderit in Apoplexiam, attamen vitam artis ope ad annum 106. protraxit. Qua de re Conciliator concludit humidum poſſe

reſtaurari,

reſtaurari, & calidum defendi, ac proinde vitam protrahi poſſe, ſed ad quid plura: Fruſtra Arbor Vitæ in Paradiſo, fruſtraque de terra Medicinam creaſſet ab initio Deus, niſi rerum termini naturales prorogari medendo poſſent; Verùm ſi quis non utitur remediis, ſtatutum eſt illi terminus, quem non præteribit; Si verò utitur, ſtatutum eſt, ut prætereat; Si Adam non ædat de ligno Vitæ ſtatutum habet Vitæ terminum, ac ſi comediſſet, utique non fuiſſet mortuus. Cumque Deus hominem fecerit non ut aliquando periret, ſed ut in æternum perſiſteret, etſi per peccatum depravata ſit humana ſpecies, hæcve propterea vita ceſſatura, bonum tamen erit ipſi Deo, ut homo longiùs vivat, nam ipſa hominis ſubſtantia per ſe bona eſt, & bonæ ſunt ejuſdem facultates, atque actiones per ſe conſideratæ, & quod bonum eſt, meliùs eſt, quod permaneat, quam corrumpatur, in quem finem nobis Deus erogavit Medicinam, & quidquid ſemel fuit naturale in Neſtore poſſibilitati naturæ, arte non oppugnat. Diſſertatione finita alter illorum, dicens, ſtetit.

I.V.

Ars brevis Vera Medicina; longa verò falſa.

VEneror præcepta Hippocrat., contemplor ejus aphoriſmos, ab illo abire non audeo, niſi ita poſcente veritate: Adhuc mihi Medicam artem longam perſuadere non valeo, ac fortè dubitaveram longam illam Hippocratem prædixiſſe, niſi & Hippocratem Aſtrologum fuiſſe didiciſſem: Nunquam exactiùs medendi genus obſervatum eſt, quàm cum in primævo ſui exortu ſimplicibus iiſque paucis contenta eſſet Medicina, diùque vivebant homines, facilius curabantur abſque tanta Argentei liquoris jactura, quæ hodiernis diebus in Pharmacopolia effunduntur in perditionem potius, quàm in auxilium Infirmorum. Plerumque præſtitit Divinus Senex ptiſana, & elleboro, quam inſanis alii infinitorum compoſitorum numeris, quibus ætas noſtra obruitur. Depopulantem curare peſtem ſolus novit Hipp:, cujus ſcientia poſt tot ſæcula adhuc obdormit cum illo; medendi puritas migravit in linguas, jactantias, rixas, controverſias, & conjectu-

tas. Ars longa Mehercule, & obſcurior duntaxat eſt illis, qui non ſelecto uno magis veritati, vel ſaltem probabilitati conſentaneo libro ad infinita incumbunt volumina, in quibus Scriptores per plures in infinitum protrahentes proceſſus, & paſſim per ſcripturas eadem fermè referentes, ac reciproca voce ſibi ipſis Echo ad inſtar quaſi reſonantes, longiſſimam artem illam adeò abſolvunt, ut exinde perturbent homines, non res, ſed rerum opiniones. Cum hactenus deſit compendioſa curandi ratio cuilibet Studenti indignati occurrunt quæſtionum vortices, ut inter Scyllas, & Charibdes miſerrimè innatare cogatur, genuinos libros, auctos, correctos, reformatos, & ex illis ſibi invicem juratos hoſtes proſpiciens, alliſus ſcopulis inter Circes ſe invenit, quo ſe vertat neſciens, & quo magis in fluctuoſo itinere procedit, eo ſecuro magis à littore recedit, inquè tot diverſarum opinionum, obſcurarumquè ſpecierum, & contrariarum Sententiarum Mare perturbatus ægrotantis ad pulſum cum pervenerit, veteribus fidem mallet habere, Modernos, & ex illis diverſos obſtrepantes audit, Venam qui tundunt, qui Sanguini parcunt, dies qui criticos, atque lunares mutationes, coniunctiones, oppoſitiones Lunæ Plenæ, aut non, lumine magnifaciunt, qui tales obſervationes derident: Vomitoria, purgantia, nunc ejuſdem nunc diverſæ indolis eſſe, herbas, cordialia, pulveres, aliaſque compoſitiones calida, à multis, ab aliis frigida ſuſpectas temperie, qui primas includunt, qui ſecundas cum primis confundunt qualitates, tandem Echo Eraſmi illi Ciceroniano exclamanti *Decem annos conſumpſi in legendo Cicerone*, reſpondit *One* tandem inquam Studioſus Juvenis neſciens, quibus parere debeat, ſub tanta incertitudine, animiquè fluctuatione, facto in recepta ſigno Crucis ad caſum ſcribit, quod phantaſia ſubiicit. O tempora! Rex Theodoricus, ne centum librarum ultra onus opprimeretur Equus, juſſit, cum nimis abſurdum ſit, ut à quo celeritas exigitur magnis ponderibus opprimatur; Et Mundus exigit celeritatem, ſeu ſecuritatem à Medicis nimia librorum, & diverſarum Sententiarum preſſura ſuffocatis? Per multitudinem voluminum, quorum nonnullorum Auctorum ſtudium non niſi in contradicendo per maximè conſiſtit, tanquam per ingens pelagus ſeduli medici navis non niſi ſummis cum diſcriminibus tranſeat neceſſe eſt, humanæque vitæ brevitati, ac memoriæ noſtræ imbecillitati ad optatum perfectæ eruditionis portum pervenire phyſicè impoſſibile erit; Miror quidem, quod in re tam neceſſaria, ac Univerſali verſa ſcandalo, facinoroſa plebs rabidos non concitet tumultus, nobiles æqua non accendantur querimonia, Prin-

cipes

cipes obſcuras Medicæ artis Quæſtiones omnes libros ad publicam utilitatem in unum reſtringendo, electis ad id exequendum aptioribus enucleari non mandent, remotiſque inutilibus, novam fœnicem Medicam regenerando, ſub pæna Majeſtatis læſæ cuicunque typico prælo libros ſine præcipua integri Medicorum Collegii auctoritate, atque conſenſu ſubiicere auderet. Mirum eſt, & maximum de aqueis acriter diſcutitur cenſibus ad paulò magis fertiliorem humum habendam, maximum verò inter neceſſarium omittitur, firma inquam Mortalium ſalus non curatur. Mens noſtra more ſtomachi nimio cibo gravatur, indigeſtiſque opprimitur codicibus, nec mirum, ſi exinde artem longam, vitam brevem, periculum in experientiis, audaciam in coniecturis, incuriam, ſive temeritatem in interpretationibus, & in intelligentia confuſiones oriri videmus; Quòuſque magnis, ac copioſis voluminibus oppoſita, atque jurata quadam hoſtilitate ſibi contrariis innitetur Medicina, Diſcipulos loquentes multos, ſanantes paucos habebit, & ludere coacta erit ars pellem in humanam, ſolaque Hipp. *exteriora* alienis ſaginabuntur ærumnis. Multitudo Medicorum ſcilicet librorum Cæſarem occidit, & ſolus Hipp. multos ſervavit Magnates; Diſcordia Medicorum eſt pernicies Ægrorum, concordia verò illorum ſalus, quibuſque plures ſuperſunt Medici ſcilicet libri, eis permultæ aderunt ægritudines ex Deciſ. Straboli. Terminata hac quoque diſſertatione aliam ſuſceperunt ſodales, dicentes.

V.

Cauſa multorum Interitus.

DEcepti perſæpe, aut accidentibus, quæ aliter non rarò ſuadent, ac res poſtulat, aut cauſis, quæ ſæpe latent, diebus non longè abhinc elapſis in locum virentibus arboribus, herbiſque amænum, convenimus nos Medici varia ſuper illud Hipp: diſputaturi: *Oportet Medicum eſſe fortunatum*. Chriſti benedicti, ac intemeratæ, & glorioſæ Virginis Mariæ ejus Genitricis nominibus piè invocatis, ſeriò cogitavimus, quomodo donum illud naturæ aſſequi poſſemus, quo Medicum præſtari debere ait divinus Senex; Prima fronte aſtra perſcrutari operæ pretium duximus, ut quali ſub momento bonæ vel malæ influentiæ, nos utero conceptos, & luci editos diſceremus, antequam

ad

ad ampliora Medicinæ pericula progrederemur; ſed nobis conſideratiùs rem perpendentibus occurrit illud ejuſdem Hipp: *Non ſolùm ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrotum, & aſſidentes, & exteriora.* Aphoriſmo in trutina poſito, agnovimus fælicem Ægri curationem non à ſola Medici virtute proficiſci, ſed à pharmacopolarum vaſis, in quibus vita Ægrotantis ſi ritè medicamina peracta, mors ejuſdem, & Medici virtus irrita, ſi abſurdè ipſa parata, & ita intelligenda eſſe credimus illa *Exteriora*. Quadam verò Medicus utatur cautione opus eſt Aſtrologica, qua in curatione animadvertat, nè obſit, dum cupit prodeſſe: Qua de re permittuntur à Concilio Tridentino judicia, quæ Medicinæ, Navigationis, & Agricolturæ juvandæ gratia conſcripta ſunt, & juxta ſenſum Hipp:, videndum ſi cum malis Planetis, aut in loco malo fuerit Luna, ut ſcias eventum Morbi; Interdum enim accidit, ut vulnera infligantur in ſignis malignis, ita ut vulnus etiam leve exitiale fiat: Quandoque initium eſt ægritudinis nobis eſt neceſſe intueri lunare Corpus, neque ullo modo tangendum ferro membrum dum Luna permeat ſignum dominans illud membrum; Aſtrologiam igitur, & maximam Medicinæ partem eſſe nos quoque fatemur; Verùm non hæſitanter aſſerimus cauſam, cur perſæpè poſt multas curationes ad legem inſtitutas, & ab Ægro obtemperante, atque ab aſſidentibus ad praxim prudenter deductas, contingat jactura Ægrotantis, intereſſe inſcitiæ aliquorum Pharmacopolarum, qui aut ignorant herbas, & earum virtutes ad plurima, aut ſi agnoſcunt, neſciunt qua temporis opportunitate, quo loco, quo ſub ſydere favorabili ſint colligendæ, ſeu ad medicamina parandæ, quinimmò ſine ratione, ſine labore, ſine diſciplina deſerti, parum aut nihil calentes bottanicam, herbario committunt herbarum electionem, qui fortaſſe primum ab ultimo, Lunæ quadrantem neſcit diſtinguere, nedùm ſitus opportunos ad evulſionem herbarum; herbamque quam calidam, aut cordialem vocant, decerpunt natam inter frigidas, & veneníficas; frigidas inter calidas, atque veneníficas, ex loco ubi ortæ ſunt plures ſpeciei diverſæ. Hodierni temporis Pharmacopolæ adeo deſſides ſunt, ut malint herbas in libro depictas, quam in Montibus natas agnoſcere; Verùm pictura fallax eſt, & difficile eſt ſingulas earum ætates pingi, quam quadripartitis anni varietatibus faciem mutant, idcircò effectus contrarii naſcuntur; Refert plurimùm diverſas herbarum ſpecies opportunorum temporum in legendis herbis varietate diſtinguere, Cæloque affecto quomodo quælibet herba oriatur intelligere; Sic aliud herbarum genus in augmento Lunæ, aliud in decremento

uſur-

uſurpandum eſt, & ſecundum Cæleſtem curſum ſumendæ ſunt herbæ ea influentia, quæ ipſa quoque Spiritibus adverſatur, alia in Marte, alia in Jove, non cum Luna, ſed contra Lunam, non à meridie, & ſub noctem, ſed ſub Solis exortum, ex oppoſito Solis in Aurora; Luna duas habet ætates, à pueritia uſque ad ætatem mediam eſt plenilunium; poſtea incipit Senium, quæ Lunæ conſtitutio præfigurat nobis juventutem, & Senium hominum, ut habita proportione ad pueritiam, & ſenium Lunæ, & hominum, herba decerpatur ætate, qua prodeſſe poſſit. Animo ſemper deberent tenere Pharmacopolæ diviſionem herbarum, diviſionem ætatis, diviſionem temporis, diviſionem Lunæ: Secus agentibus, medicamina habebunt exitum à voluntate noſtra alienum cum Ægri jactura. At non ennarratis duntaxat ſtat ſumma perniciei, peiora videntur; Multos vidimus eſſe homines, paucos verò viriles, multos ſcilicet aromatarios, paucos verò pharmacopolas: Multos ignavos, audaces, qui nedùm pharmaciæ definitionem didicerunt, verùm Phyſici munera, inſana temeritate inire audent, & pacta mercede danda ducunt juvenes perſæpe expertes idiomatis latini, aut ab ipſis poſcunt pecuniam pro Magiſterio, permittuntque illis ignaris regimen officinæ aromatariæ, hinc errores plures perſæpe oriuntur, accipiturque pulvis cort. Pyrorum pro pul. cort. Perù, & pul. aſinorum pro pul. aſſellorum, ac poſt lectas non raro receptas medicamina ex vaſis depromunt, ex quibus non depromenda, vel inconſideratè augent, aut minuunt, accipientes etiam pul., ingrediens, & pondus pro alio; Nolumus illos Pharmacopolas reos occiſionis vocare, qui ſpiritus non cuſtoditos, vel non ut par eſt defæcatos, ſoloque flegmate pingues, qui pulveres, quos ſedulitas non correxit, vel quos Aer exterior venenavit, qui olea ex amigd. ſanioſis expreſſa, qui Caſiam ad menſes extractam in capſulis ſervatam, qui electuaria, pilulas, trochiſcos, ſirupos ſenio infirmos, totque alia Aromata non virtute, ſed ſoluta immerito pecunia pretioſa vendunt, atque nonnunquam exotica Pharmaca ſubſtitutiuè mentiuntur, conſtanter tamen dicimus, quod non efficit Pharmacopolam ſolum nomen, nec ſatis eſt dicere *nos quoque poma natamus*; Minora negotia, minora ſolatia decent Pharmacopolas: Interſint Eccleſiis; ſed ita ut tamen miniſterium ſuum implere valeant, & queant etiam viſitare Infirmos, opus mehercule per quam maximè Pharmacopolis neceſſarium, pro dignoſcendo febrilis caloris gradu, ad ignem vel acidum validiùs, aut mitiùs intendendum. Quidquid dives Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus

catus Aſſyrius, quod Aphrica fertilis, quod ſpecioſa Hyſpania, quod fortis Gallia, quod Italia, quod Germania tribuit omne fruſtra, ſi debitè non colligatur, incongruè ſervetur, & incautè porrigatur. Quicunque hæc ignorat, is, artem ipſam ignorat; His attentè, & non ſine ſtupore auditis confeſtim me in fugam contuli, iam non viventium, ſed mortuorum à Schola me exceptum cognoſcens; Hipp. enim, Meſuæ, Donzelli, Mattioli, Ariſtotelis, Paracelſi, Poterii, Crolii, Quercetani, aliorumque præclariſſimorum Virorum verba fuerunt, præcipitemque fugam arreptus, me à Monte demittens, quo me duxerat pavor, iter ſuſcepi.

VI.

Caſus fortuitus.

PRope amnis Adduæ oram deambulaturus ſteti; En repente occurrit cymbala, ubi tres pulcherrimæ viragines adverſo flumine navigantes, fractis currentis fluvii fluctibus littus petentes obviam ocyſſime venerant, littore ſalutato una illarum validior me, per dexteram appræhenſum in Cymbulæ puppim ſeduxit, atque imperato mihi ſilentio, evulſa feſtinanter à littore Prora, ſecundo flumine properantes certabant mulieres æquora remis, ictuque occuli in locum Paladii conſtetit Navicula immobilis, qua egreſſæ Mulieres unitis invicem amabiliter dextris quoddam me adduxerunt in Viridarium, exinde in cujuſdam Domicilii cubiculum, ubi febre tertiana intermittente correptus lecto iacebat Dives quidam juvenis, cujus curationem ſuſceperant duo Medici, febrem periculo vacare, & ſolis amaricantibus digeſtivis facilè curari poſſe conſtanter aſſerentes, paulò poſt vagantibus per ſpinam rigoribus conquærebatur Æger futura iam imminentis paroxiſmi invaſione. Senſim ſuccrevit frigus cum aliquo ſtomachi dolore, cujus in augmento Cardialgia, ut opinor, correptus Æger, imparatè impænitens obiit. Quiſque amicus amicum dolenter ſpectabat, Domumque voce, & manu cæca murmura volutabant. Facto mihi à Mulieribus nutu, infauſtam Domum diſceſſimus, hærenteſque illæ lateri meo, aucta frontis gravitate, priſtinam in oram me adduxerunt, porrigenteſque mihi Chirographum, *vale*, dixerunt: Prope Torren-

tem aſſidens illius ſenſum percurrere volui; Excepit me cura gravis, quam adhuc excutere minimè valeo, cumque non tam me, quam alios condeceat Oraculi monitum, illud cum hyſtoria omnibus ſubiicio.

O Giovinetti in ſul fiorir delli Anni
Ite con piè ſicuro
Mercè per fè vi giuro
Galeno ſenza DIO fruttarà affanni.

Terribilis mehercule cantus multum habens miſteriorum me ſequentis argumenti elucubrationem aggredi permaxime cogit.

VII.

Neceſſitas Sacramenti pænitentiæ ad Corporis ſalutem probatur.

MUltos morbos Divinos, hoc eſt à voluntate Dei pendentes habere etiam cauſas naturales, eamdem ſcilicet eſſentiam cum aliis affectionibus naturaliter evenientibus aſſerunt Paripatætici; Omne bonum à Deo, ſine quo in hac vita nihil effici poteſt, prodidit in Thimæo Plato, Deumque per morbos placari velle cum homine omnes concludunt Theologi; His poſitis; prima medendi principia evertit, qui res vult operari ſine Deo: Medicamina ſic creata, ſic dotata ſunt, ut agant, ut ſunt juſſa, neque contra intentionem Creatoris quidquam agere queunt: Cumque ſint juſſa, ut ſublatam afferant homini ſalutem, cum quo Deus morbis placari cupit, ergo inditas proprietates illo in ſubiecto explanare non valebunt, quod Dominum non noſcit percutientem non ſentiens. Qui

gerit ſe contrarium ſibi, & factus eſt ſibi ipſi gravis, ſurgere nequaquam poterit, ac donec aliquis inſtat ſuper alligantes manipulos in Campo, non decedet æſtus de capite illius, ſed cum Manaſſe morietur, ſcilicet quotieſcumque caro ſecum vehit cauſas naturales defectuum, & mortis neceſſitates, imbecillior facta, putreſcere coacta erit; Exemplum habemus in Eccleſiaſtes de morte Regis Ioram; *& ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alvi languore inſanabili, cumque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia volverentur iam duorum Annorum expletus eſt circulus, & ſic longa conſumptus tabe ita ut egereret viſcera ipſa languore pariter, & vita caruit; Nec* Pſalmus erravit dicendo *quouſque æſcæ eorum erunt in ore ipſorum, ira Dei aſcendet ſuper illos, & occidet Pingues*, quouſque ſcilicet infirmus mortali degit in culpa ab infirmitate quantumvis levi non evadet, ſed Deus, ut Daniel ad dirumpendum Draconem, picem, adipem, & pilos, hoc eſt fruſtula vitri, cantaridis, adamantis, & arſenici per inviſibilem juſtitiæ dexteram Pharmacis immiſcet ut mortifera potione pereat impænitens Æger. Deus qui tonante vult agnoſci, leviſſimas infirmitates, quæ aliàs vel ſponte, vel cujuslibet Doctorelli adminiculo ſecederent, altiores contrudit in gradus & ſenſim ſine ſenſu in immedicabile vulnus enſe reſcindendum, leves cicatrices adducit. Agitantur exinde cauſæ naturales, fiunt reæ conſtellationes, in judicium Medici, in infamiam Pharmacopolæ in opprobrium Chirurgi vocantur, at inculpata ſilet cauſa principalis, quæ eſt voluntas Dei, prior omnibus aliis cauſis, naturales non tollens, ſed illas coercens, aut impellens. Abrami vices quiſque ſuis in infirmitatibus inire debet à Filio ad Agnum transferens dexteram, à peccato ſcilicet ad pænitentiam ſe dimittere, & cum tanta promptitudine Sacramentalis Pænitentiæ oſculo ſe offerre, cum quanta ſe, & legi peccati obtulerit; Ad majora progrediamur. Quidquid animum evehit, quis non gnorat, & ipſi corpori prodeſſe? Corporis ſalus, non niſi à recto ſex rerum non naturalium uſu conſequi poteſt, animi pathemata, quibus hinc inde agitatur impænitens Anima validiores ſunt ſex rerum non naturalium cardines, nec melius ſedari queunt, quam animi tranquillitate, animi tranquillitas non meliùs, quam per Confeſſionem Sacramentalem, ergo Sacramentalis Confeſſio eſt abſolutè neceſſaria ad Corporis ſalutem; *O inſenſati Galatæ*, dixit Paulus, *quis vos faſcinavit non obedire veritati*; Improbam in mentem bona conſilia non cadunt, & nequam in Corpus irrita Pharmaca effunduntur; Confeſſio Sacramentalis, ac Communio Cor-

poris

peris Chriſti uniendo nos ſibi, nos in ſe regenerat actualiter, datque nobis vitam ſibi conformem, & quantum in ſe eſt, hominem ut in æternum vivat, inſtaurat; Ignoſcat mihi Theologus, ſi ultrà crepidam loquor, non de illa vita æterna beata, ſed de vita Mundi agere contendo, atque in terrenis, ſcilicet ad Corporis ſanationem, & conſervationem multam vim habere Sacramentum pænitentiæ, & Euchariſtiæ conſtanter aſſero, quod apertè prodidit Marſilius Ficinus dicens, *ſanitatem quidem Corporis Hipp:, animi verò Socrates pollicetur, ſed veram utriuſque ſanitatem ſolus ille præſtat, qui ſic exclamat: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; Ego ſum via, veritas, & vita;* Idemque confirmare videtur Van. Helmontius dicens *quidquid pro vitæ, ac longæ ſanitatis conſervatione cogitandum, cogitandum in pace incuriam cum plena raſſegnatione in placidiſſimam Dei voluntatem;* Indiſpoſitiones enim Animæ valetudinem inquinant, & labefactant, cumque morbus ſit filius peccati, nequit cognoſci, ſi ignoretur facultas concupiſcentiæ peccati, omniſque homo per imagines triſtitiæ, terroris perturbatæ conſcientiæ format ſibi ſeminalia venena, quæ peſte tenus, vel violento aliàs languore conſumunt. Gratiam igitur in morbis quiſque poſſideat, ut Raphael Angelus, juxta illud Tobiæ, *apprehendat Dæmonium*, ſcilicet morbum, *& illum releget in deſerto ſuperioris Ægipti*, pudeat quemquam ſuis in infirmitatibus Medicum invocare auxilium, quin priùs Sacramentum Pænitentiæ non adierit; Secus agentes tenentur Medici impunè deſerere, maximè quando monitus infirmus non vult Sacramentum pænitentiæ amplecti, nam tunc Medicus poſt triduum, non poteſt Infirmum impænitentem viſitare ſub pæna peccati mortalis, non obſtante quavis contraria conſuetudine, idque intelligendum etiam in quacunque infirmitate, quamvis levi juxtà deciſionem Pauli, & Lanfranchi Zachiæ, & adeſt Bulla Pii V. contra ipſos Medicos: *Non monentes Infirmos de Confeſſione Sacramentali arceantur ab Eccleſia, donec competenter ſatisfecerint*, & juxta Theſaurum, *efficiuntur infames gradu Medicinæ privandi.*

VIII.

VIII.

Animi affectus quomodo lædant Corpus.

NOn extra rem erit in confirmatione ſuperioris argumenti, præſentis ſolutionem à primis Medicinæ Proceribus mutuare; In quam rem Gal. de deff. feb. non ſolùm iram, verùm & timorem, & mærorem calefacere ait, quia omnes animi paſſiones reducuntur ad motum, & omnis calor ſemper à motu gignitur: Eſt famoſa hiſtoria relata ab Hipp. de Muliere hectica, quæ ob nimios animi mærores auxit humorum aduſtionem: Modus verò quo mæſtitia adurit, traditur à Gal. de humoribus, ubi dicit mæſtitiam calefacere, quia contrahit calorem ad internas partes, quo contracto, aduritur ſanguis, & ſpiritus. Hinc idem Gal. dicit animi affectus corrumpere ſpiritus, corpora verò noſtra læduntur à paſſionibus animi duobus modis: Alter modus eſt per ſpirituum corruptelam, quæ deindè efficit calorem: Alter ob calorem, qui concitatur vel ab ira, vel à mærore, dum concentratur: Plato in Charmide dicit animi paſſiones tantum poſſe in alternadis corporibus, ut ab animi affectibus cuncta ferè mala corporibus accidant, poteſt addi cuncta mala, quæ proveniunt ab animi affectibus, eſſe, vel quia adurunt, vel quia corrumpunt ſpiritus vitales, & naturales, nullus enim affectus, eſt affectus, niſi prius cognitio præcedat, in qua cognitione perturbantur ſpiritus animales, illiſque perturbatis, commoventur, & vitales, qui ob commotionem adeo calefaciunt, ut adurantur, ita ut ſi hæc commotio inſignis perſeveret, corrumpantur. Inſuper alibi Plato dicit longè maiorem eſſe commotionem corporis, quamvis jacentis ab animo factam, quam quævis Corporis agitatio violenta; Animi idcircò paſſiones alterant etiam, & lædunt corpora noſtra, primò divertendo naturam à ſuis propriis operationibus, ſecundò calefaciendo ratione motus; Ex ſpirituum enim agitatione ab animi paſſionibus facta incenduntur, ita ut corrumpantur, ut ſupra diximus ex Gal. & quantum mali Corporibus noſtris inferre poſſint animi affectus, arguat quiſque ex fixa imaginatione, quæ per medios ſpiritus in primo fætus ſtamine effigiem, & figuram animo

conceptam imprimere poteſt, ergo, & Animæ perturbationes, Cor ipſum à naturali conſtitutione exturbant, & ad mortem inducendam ſatis erunt, qui plura cupit, Van Helmontium conſulat, qui omnem ad morbum impetum per ideas in Archæum derivare conſtanter aſſerit, fælicesſque illos ſolos, ac plerunque longævos prædicat, *qui procul à curis, uſuris, & negotiis, ac ſæculi ſui tempeſtatibus paterna bona Bobus poſſunt arare ſuis, in pace, & hilariter vivere cum plena reſſignatione in placidiſſimam Dei voluntatem.*

IX.

Oratio admonitoria ad vitæ, & ſalutis Amatores.

FOrtè dubitaveram vel Hipp. æque bene aphoriſmos non penſitaſſe, vel temporum mutationibus aphoriſmorum periiſſe integritatem: Omnia tamen Hipp. temporibus ſiquidem vera fuiſſe arbitror, nunc multa à veritate ſejuncta propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam judico, hodiernis propterea diebus vera non habentur, quæ Hipp. ſæculo infallibilia erant: Exemplum habemus de Podagra, qua Hipp. temporibus pauci omnino laborabant propter temperantiam vitæ, & moderationem ſummam, qua de cauſa prodidit ille Senex *ante uſum venereorum hominem Podagra non laborare:* Noſtra verò ætate in tantùm auctis deliciis, & luxu, & voluptatibus, ut nihil ſupra addi poſſe videatur infinita eſt cujuſcumque generis laborantium multitudo, *nonnullis*, juxta ſenſum Senerti *nunquam ſe exercentibus, nonnullis malè coquentibus, ac ſe inebriantibus, fortia vina potantibus, Venere immoderatè utentibus, aliis verò & ſi non in omnibus, in uno tamen aut altero ex his peccantibus.* Quamdiu homines pauciſſimis rebus contenti lautas menſas, & opipera convivia non cognoverunt, propinationiſque poſt inductam paulatim conſuetudinem pænitus ignorarunt (id quod primis illis ſæculis extitiſſe memoriæ proditum eſt) morbi, neque apparuerunt, neque etiam eorum nomina innotuerunt; Poſtquam verò intemperantiæ nefanda lues, Coquorum exquiſitæ artes, delicatiſſima æpularum condimenta, vinorumque peregrinæ temperaturæ inter homines irrepſere, mor-

morborum ſimul varia continuo genera ſurrexere, Podagras, Apoplexias, Paraliſes, Hydropes, Lepras, ſanguinis coagulationes, ac diſſolutiones inferentia, morſque multifariam in homines irruit, quorum vita tamen ſemper ſimplex, & univoca eſt. Unum Eriſichthonem Ovidius in Methamorphoſ. depinxit, hodiernis autem temporibus plurimi Eriſichthones offeruntur, quorum

Furit ardor edendi
Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat,
Vtque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,
Innumeraſque faces cremat, & quo copia maior
Eſt data, plura cupit, turbaque voracior, ipſa eſt.
Sic Epulas omnes Eriſichthonis ora prophani
Accipiunt, poſcuntque ſimul: Cibus omnis in illo
Cauſa cibi eſt, ſemperque locus fit inanis edendo.

En ergo Tartareorum Horda, quæ morbos invaſerat, vobis in propatulo, hocve loco bellandum cum Galeni præceptis, ſi ſanitatis, ac longæ vitæ conſervationem ſtudetis; Noſtris in furnis, ſcilicet in noſtris ſtomacis ſtat ſumma perniciei, oreque in noſtro totius machinæ munimentum; Verum hoc loco de ciborum alterationis, ac copiæ nocumentis, me ſermonem initurum ne arbitremini, qui tantum de communi edendi temporis errore admonere vos ſatago. Nobis cibus, ſeu mortalitatis medicina ſingulis diebus eſt neceſſaria, unde quotidianum petere juſſit ille, qui noluit nos eſſe ſollicitos de victu, & amictu; Cum Sanorum verò alios ſemel quotquot diebus, pleroſque bis, nonnullos etiam ter, & quater cibum ſumere aſſuetos videam, nonnulloſque plurimum in Prandio, parvum in Cæna, idcircò neceſſitatem, ad ſalutem corporis tuendam, vitamque longius producendam, parum, aut nihil prandendi, uberius, & alacriùs cænandi, vos minimè latere volo. Cum plenus venter dormiat libenter, ea propter cibum puto ſub noctem opportunius dari, quo tempore ſcilicet ſpiritus noſter ſe recepturus eſt in viſcera, & vacaturus negotiis privatis, & domi curaturus, ad quæ velut familiæ cura vocat; Nam ut mens, ingeniique acumen mane eſt longè expeditius, ita nocturna ferculorum cænæ concotio eſt diurna longè vegetior; Ventres hyeme, & vere, juxta ſenſum Hipp., natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda, etenim cum calor innatus plurimus eſt, pluribus eget alimentis; Atqui cum nox ſomno dicata, frigore hyemi reſpondeat, quis ad noctem copioſius cænandum,

& pa-

& parum prandendum non viderit? Cumque hodiernis temporibus pænes ferme omnes homines contraria ſit conſuetudo, non mirum ſi pars Chyli corrumpitur, plus juſto aceſcit, novumque victum fermento præmaturo contaminat, atque incognitus hoſpes inſolitas, & incognitas infirmitates producat, quarum levior, olim, vix centum annorum ſpatio manifeſtabatur; Cumque impenſum meum, communem ad utilitatem, noſtri ſæculi moris lautè prandendi, & frugaliter cænandi excidium intendat, operæ pretium erit ſolutionem propoſitionis per argumentorum contrapoſitionem enodatam, ac confirmatam omnibus ſubiicere; ſit ergo.

X.

Cæna liberalior, & prandium frugalius ſanum, & longævum hominem faciunt.

SI priſcum cænandi morem conſulas, non facile definiveris; Cænæ tempus ordinarium erat, Sole Occidente, ſive 11. diei hora labente, quam tamen viri graves occupationum cauſa ſæpe differebant uſque quod Luminaribus accenſis, Romani antiquiores prima face dicebant, & quia propter eandem cauſam ferè parcius prandebant, idcirco cænabant liberalius, & hilaritates etiam ſuas, ac compotationes ei reſervabant; Cùm itaque præſenti in caſu opſonationis tempus ex more temporum definire non liceat, videbo, an definiri ex uſu artis queat. Hipp. de victus rat. dixit *mane ſorbitionem dabis, veſpere autem ad cibaria te conferes;* Gal: ſimiliter probat ratione, & experientia plus eſſe cænandum, quam prandendum, ratio eſt, quia a cæna ad prandium intercedunt ſomnus, quies, & tempus diuturnius, quam a prandio ad cænam, probatque experimento ab Athletis deſumpto, aitque Athletas, qui ſani ſunt, & qui ad ſummum bonitatis ſtatum perveniunt, uſum copioſiores cibos ſumendi in cæna, quam in prandio, ratione, & longa experientia comprobaſſe; Dictum eſt largius eſſe cænandum ob longiorem quietem, &

 ſom-

ſomnum, quæ intercedunt, coctio enim ex Hipp: quiete fit, & quo longior quies, eo perfectior coctio fit, nec olla igni apposita concussa diu, pulmenti cocturam pollicetur; Hinc Gal: de rat: vict: ait ſomnum coquere, & vigilias digerere, in ſomno enim facultas, quam diſtributivam vocant, languet, quæ in vigilia viget; Nonnulli autem probant in prandio plus cibi dandum eſſe, quam in cæna, quia ex copioſiori cæna fiunt diſtillationes, & catharri, intumeſcunt hypocondria, eo quia alimenta non diſtribuuntur, dicuntque, cum ſomnus plus duret quam prima, & ſecunda coctio alimentum non diſtribui, neque excrementa expelli, quod non accidit à tempore prandii uſque ad cænam, quorum opinio reiicitur à ſupradictis Hipp: & Gal: de rat: vict: in acut:; Præterea ſi fiat comparatio inter prandium, & cænam illorum, qui catharrum, & morbos capitis patiuntur, dico in his victum eſſe eligendum moderatiſſimum, cænam tamen paulo liberiorem prandio, quoque in his eſſe eligendam cenſeo; Ille enim ſolus cibus, qui manet inconcoctus, eſt, qui evolat, juxta eorum opinionem ad caput, & in catharrum convertitur; Cibus verò, qui in ventriculo rectè coquitur nullum catharrum gignere poteſt, nec aliquid mali accidit bene cænantibus, niſi etiam, & bene pranderint, & perfecta diſtributio poſt ſomnum matutinis horis ſuccedit. Aliorum opinio eſt Infirmis in cæna plus dandum, ſanis verò in prandio, quia Infirmi habent facultatem concoquendi infirmam, ideo illis plus cibi dandum in cæna, in illo enim diuturniori tempore concoctrix, ſivè fermentum debile coctionem abſolvere poteſt; Sanos autem, dicunt, magis reſolvere interdiu, quam noctu, ideo in prandio plus cibi dandum. Verùm reiicitur, & hæc opinio, quia reluctatur, & rationi. & auctoritati Gal: loco citato, ubi in Ægris, & ſanis dicit eſſe plus cibi dandum in cæna, quam in prandio; Secundo ſi magis ex dictis reſolvuntur corpora interdiu, quam noctu, ergo plus dandum in cæna, quia tunc eſt magis nutriendum, quum maior procedit reſolutio, ergo cum maior reſolutio fiat ante cænam, quam ante prandium, plus cibi dandum in cæna, quam in prandio; Reiicitur & eorum opinio, qui volunt Pituitoſis plus cibi dandum in prandio, Bilioſis in cæna, quia eſt contra Gal:, qui abſolutè de omni temperamento vult plus eſſe cænandum, quam prandendum, exemplo Athletarum, quorum corpora ſunt etiam humida. Nonnullorum opinio altera eſt, qui dicunt in hac re ſervandam eſſe conſuetudinem, quare inferunt, ſi fuerit ſolitus largius prandere, quam cænare, conſuetum uſum eſſe ſervandum,

vandum, quia ex Ariſtotele, conſueta ſunt quaſi naturæ inſita, & juxta Hipp: *conſueta deteriora minus moleſta eſſe inſuetis melioribus*, ex Gal: exemplo, de quadam vetula, quæ ob eſum, & continuum uſum cicutæ ſummum beneficium ſibi comparavit, nec non Mithridatis nullo petiti veneno, quia venenis aſſuetus, ſubſumuntque argumentum ex Gal: ſenſu, dicentis, in debilibus, & ſenibus non eſſe mutandam conſuetudinem, ideo morem conſuetum eſſe ſervandum aſſerunt, iiſque plus dandum in prandio, qui ſoliti ſunt plus cibi ſumere in prandio, pluſque iis in cæna, qui in cæna plus comedere aſſueverunt. Verùm quod conſuetudo ſit altera natura, falſum eſſe ſatis probat Sanctorius ſuis in operibus, nam licet corrigere vitia, dumodo paulatim id fiat, ut nos admonet Gal: de ſanit: tuenda, ergo quanto magis licebit corrigere aliquam malam conſuetudinem, quæ neque eſt natura, neque ab ortu incepit, & eſto, quod in valde debili diu aſſueto in prandio copioſioribus cibis, non ſit uſus mutandus, quid tum? Non ne poſſumus dicere conſuetudinem illam eſſe pravam, atque fugiendam? Immo dicere non timerem corpus illud ſervari debile ob malam conſuetudinem, quæ ſi emendaretur, multum de robore aquireret: Secundo natura tranſiens ab imperfectiori ad melius eſſe, plus de bonitate aquirit, quam patiatur ob amiſſum imperfectæ conſuetudinis morem; Ultima opinio ex Valeſii lib. de controverſ. deſumpta, qui putat deciſionem pendere ex robore coctricis, & ex vaſorum amplitudine, per quæ fit alimenti diſtributio, dicens, ſi robur coctionis majus eſt, quam facultas diſtributiva, plus eſſe prandendum, quam cænandum, ſi minus ſit, aut æquale, plus eſſe cænandum, ratio illius eſt, quia à prandio fit melior diſtributio, quam à cæna; ſed contradictione implicare mihi videtur hæc aſſertio, dicens, poſt prandium diſtributionem eſſe validiorem, poſt cænam verò eſſe validiorem facultatem coctricem, quia diſtributio inſequitur coctionem, ideo horis à ſomno, matutinis, diſtributio eſt optima, à prandio verò non eſt alimenti diſtributio, valet enim conſequentia, poſt cænam horis nocturnis, poſt ſomnum, & quietem fit melior coctio, ergo & melior diſtributio, ſint vaſa ampla, vel anguſta, quod enim eſt coctum, non ſolùm penetrat per vaſa, verùm etiam fibras, ligamenta, glandulas, & muſculos permeat.

Dicendum igitur in cæna plus dandum eſſe, quam in prandio, nec prandium parvulæ ſorbitionis doſim excedere debet; Ratio potiſſima deſumitur ex quiete, ſomno, & tempore diuturniori, quæ

mediant inter cænam, & prandium; dum enim diſputatur, an in prandio, vel cæna ſit plus dandum, ſupponitur etiam cum Gal. à prandio ad cænam intercedi ſeptem, aut octo horas, reliquum verò temporis, quod eſt 16. horarum, mediat inter cænam, & & prandium; Quod ſi minus octo horarum interſit inter prandium, & cænam, urget argumentum multò minus in prandio comedendum; Quo ſuppoſito concludendum in omni corpore, in omni ætate, regione, aeris conſtitutione, in omni temperatura, atque in omni conſuetudine, nec non in ipſis ægris, dummodo aliquis paroxiſmus non prohibeat, plus eſſe dandum in cæna, paucum verò in prandio; Secus agentes magnos illos morbos ſufferre coacti erunt, qui vix, & ne vix Hipp., & Gal. temporibus conſpicui erant; Quid ultrò? Si ipſe Dominus noſter Mundi Redemptor ſatis nos docuiſſe videtur comeſtionem fore in cæna faciendam, qui cænam illam magnam Apoſtolis in nocte condidit. Victimæ ſanæ noctu in Sacrificiis mactatæ digeſtibiliores ſunt, nam & ligna ad Lunæ ſplendorem cæſa, citius putreſcunt, & fructus quidam matureſcunt, atque cum concoctio ſit quædam putrefactio, ipſum aſtrum Lunæ ad ciborum concoctiones multum conferre valebit. Hoc tamen notandum non illicò, & confeſtim à cæna lectum petendum fore, ſed levi, à cæna, corpus indigere exercitio, atque cænam tribus ſaltem horis ante ingreſſum lecti ineundam eſſe, quod cuilibet corporis ſalutem ſtudenti, cordi habendum, qua de re laudato præclarum fortium quorundam Germanorum morem, qui ut plurimum in veſperis prandium inchoantes, cibaria longius protrahentes, incenes cubare aſſueverant, offam medio mane ſorbentes.

X I.

Voluntariæ Purgationis Nocumenta:

DEambulanti mihi extra mœnia Civitatis una die obvius extitit quidam Nob. Polonus vallem ingreſſurus, & ſciſcitatus à me quinam eſſet in illa præſtantior Medicus; Quid tibi Domine cum Medico dixi, cum tam bene valeas? Ita planè reſpondit; Sed mos penes noſtros invaluit, ut quiſque primovere purgationem ineat cum ſanguinis miſſione, & eam, ut ſoleo, inchoaturus, acceſſi huc,

ideo

ideo Peritiorem Medicum ſciſcitabar. Tunc ego probi Advenæ invalentiam miſertus, illum, ut parumper mecum, de tanti ponderis re, ſeriò locuturo conſiſteret, rogavi, dixique: Audiſti ne unquam quadam in Comedia Boetia nuncupata Paraſitum quemdam contra Solaris Horologii Inventorem dolere, cum non ſolum horas diei, verum publicas, ac privatas hominum actiones demetiri contenderet, ne impoſterum ad famem, ſed ad Horologii arbitrium comedendum eſſet? Gellius hiſtoriam notat: *Ut illum Dii malè perdant, primus, qui horas reperit, quique adeò primus, ſtatuit hic ſolarium, qui mihi convivit miſero articulatim die &c.* Pari paſſu, ne mireris, ſi hodie contra libentium purgationum conſuetudinem, dolentem me audieris; Quid ſalus cum Medico, quid Pharmaca cum valetudine, ſi Medicus, ex Evangeliſta, non valentibus, ſed malè habentibus eſt opus? Dii profectò illum male perdere deberent, primus, qui purgas reperit, nam à voluntariis purgationibus plurimum damni, nihil auxilii, corporibus emanare diſcimus. Heu mentis imbecillitas! Ergo quia ſe vertere incipit anni tempus, invertere corpus oportet, ergo non ad famem, ſed ad Horologii arbitrium eſt comedendum? Meritò nonnulli, Æſtate, vel Hyeme, Veris purgationis pœnas luunt, nam remorata perſæpe, per Veris purgationem, ſanguinis deſpumatione, quam ſponte naturæ cum omnibus vegetabilibus tempore Veris ſolet ſanguis inire, introſcuſcepta Amurca ſenſim ſine ſenſu humores conſpurcando ad plenitudinem aggeſta omnia poſtremo mortali labe inficit viſcera, & qui ſine cauſa evidenti in Vere purgationem injerunt, ſerò in Hyeme initam purgationem plorant. O Medici iſtis, quare mediam non contunditis venam? Pharmaca non ſunt cupedia, ſed quid medium inter alimentum, & venenum; Sanguis non eſt amurca, ſed ſedes, & theſaurus vitæ; Cur igitur tibi de vita reſeccare contendis, ſi longævam vitam quæris? Si ſanitatem cupis, cur de ſanitate demis, ac vitæ lampadem vento jactari procuras, ſeu procelloſis humorum fluctibus navigare contendis? Quælibet purgatio novam humoribus texturam indit, & corpus ſanum voluntariam purgationem ineundo neceſſe eſt, ut labatur in deterius: Hoſtium arma ſibi mutuo inferentium, hominum more Belluarum mutuo ſe laniatu conficientium libentes corporis humani purgationes ſimbola ſunt, à quibus ſicut Aen: juxta Virgil: *Infantem, fugiens media inter prælia Belli extulit*, ſic te, ut à voluntariæ purgationis diſcrimine Deus eripiat, precor, qui purgationis voluntariæ damnis aures præſtitiſti benignus. Anne Hipp: do-

documento percitus adhuc purgationem inire contendis; *Solvere bonum habitum* non prodidit Hipp:, ſed *cum ſummum bonitatis attigerit*, atque non per purgationem, neque per ſanguinis miſſionem, ſed per exactam diætam illum ſolviſſe nobis credendum, quæ plures, longævos ac incolumes reddit, quam tota medicina, nam ex Gal: *conſtitutio optima corporis non eget Medico, & ſi quis voluerit uti purgatione veritus ne aggregentur ſuperfluitates, nocebit, & corpora trahet in malam conſuetudinem*; Et ſicut inter morborum initia, notatur ab Hipp: humorum redundantium copia, ſic humor copia ſuperabundans ante ſui turbationem nullum, ex Hipp:, producit morbum, ergo adhuc exiſtente plenitudine, corpus non eſt purgandum, nam facta per purgationem, humorum turbatione, ſuſcitabitur morbus, à quo perſæpe mors, quod muto adhuc horrore frigidi contextantur, cujuſdam Hyſpani in Xenodochio Divi Jacobi Neapolis, humati cineres, exclamantes: *Jo eſtava bien, y por ſtar mecor, à qui ſtoii.*

X I J.

Eſus quadrageſimalium Ciborum nocumenta inania demonſtrantur.

LEgislatorem Licurgum, ut a Spartanis ebrietatem demeret, nodoſas omnes recidiſſe, ac evelliſſe Vites, dicitur; Antidotum mehercule deterius malo. Attamen ut in ſanitatem tranſirent eſcæ Quadrageſimales, Maximum ſiquidem Pontificem omnes anathematizare Quadrageſimales cibos, opus per maximè neceſſarium crederem; Privatio tunc appetitum produceret, & quod ſaperet, valeret, & ſine ſuſpicionis noxa, nutrire; Miror planè in re non levis corporibus jacturæ, tam humaniter ſe habentes Medicos, atque homines maximopere incautos videns; Nondum tranſactis Bacchanaliorum temporibus mittuntur hinc indè certatim Phiſicis, & Parochis ſub ſpecioſo ſanitatis velamine ad luxurioſum victum ſignandæ ſchedulæ (dira per incautum ſerpent contagia vulgus), petunt videlicet homines, iiſque ſubſcribitur cum carnis licentia, præmaturæ mortis occaſio. Miror ſiquidem Turcas ſeniores, ac vegetiores Europeis, ac Italis viventes ſentiens, qui pane azimo, leguminibus, fructibus,

ac

ac lacte, pluſquam carne veſcuntur; quæ cum ſummam putredinem, atque multorum vermium genera corporibus afferre ſoleat, meritò, & Turcarum odium ſuſcitavit; Nos verò, quorum Chriſtiana prudentia, & carnis macerationem, & individui conſervationem intendere deberet, ea avidiùs amplectimur, quæ nec dum in animæ, ſed in corporis necem faciliùs cadunt. Nunquid Deus nobis hæc otia fecit? Nunquid oleum, legumina, piſces, fructus, noſtram condidit in ultionem, ut vel ſola ipſorum recordatio, imminentibus Quadrageſimalibus diebus, nos morbis contagioſè inficiat? Errat mehercule, ſiuè potius inſanit Mundus in genere, carnis eſus opportunitates quærendo, non ignorans carnem mortis neceſſitates ſecum vehere, atque in ſpecie non pauci extra ſuæ valetudinis inſtitutum deflectunt, Piſces, Lac, oleum, & legumina deſpicientes, opſonia ex carnibus parata, dum quærunt. Non paucos in Montium alpeſtribus, nec minimos in cænobiis Fratres, carnis exilio, vividiores, & longævos vixiſſe, & adhuc vivere, quotidie nos docet experientia: Si ſingula cibum Quadrageſimalem componentia velimus expendere, non video quid in ſalutem non cadat; Oleum Olivarum illam putatam caliditatem non habet, quin potius pectoris ariditatem corrigere, tormina ventris mitigare, urinarios meatus laxare, abſtergere, conſolidare, nos edocent Scriptores; Leguminum multa gracilibus conferre, inflammationes extinguere, æſtus ſanguinis coercere, ubique nos indicat praxis; Piſces ſive recentes, ſive ſalitos ſine noxa nutrire Ventriculi, Inteſtinorum, aliorumque Viſcerum fæculentias abſtergere quis non gnorat? Amigdalas, caricas, Uvam paſſam, ſtrobilos, & ſimilia quantum ad ſalutem conferant, quis non videt? Hippocrates ipſe in veræ tabis curandæ præceptis dicit *juſculum ne ſorbeat, neque intingat, piſcibus verò utatur ſcorpiis, & cartilaginiis coctis*, Non tantas podagras, minores fluxiones, horrendas apoplexias Regiones noſtræ utique non ſpectarent, ſi carnis eſum paulo plus odio haberent, nam ex Van-Helmontio *cibi potenter nutrientes vitam longam non ſolùm non præſtant, ſed breviorem efficiunt*; Quid homines in morbos adducit, niſi Plethora, & Cacochimia, quid Plethoram, & Chacochimiam promptiùs auget, niſi carnis uſus, ergo continuus carnis eſus feſtinam nobis adducet necem, ergo qui ſanitati conſulere intendit, Quadrageſimalem victum amplecti ultro non expaveſcet; Sobria victus ratio eſt omnium virtutis bonorum diſpenſatrix, animuſque, adipe & ſanguine ſuffocatus nihil cæleſte meditari poteſt, *pluſque efficit parſimonia* ex ipſo Van-Helmontio, *quam*

pellis

pellis laceratio, quam truculenta ignium ambuſtio, radicumque barbararum potus, & quos non lædit potentium vinorum potus, cocolatæ frequens uſus, luxurioſus Coquorum apparatus, præcipua cruditatum cauſa, minimè calefaciet Quadrageſimalium ciborum eſus.

XIII.

Epiſtola ad Infirmos.

COntriſtabar, & merito, quod ſtudendo inquirens veritatem, nunquam, tamen ad ejus ſcientiam pervenerim; Puduitq; me, ut Van-Helmontii verbis utar, quod Operarius vocatus ad opus, illud promitteret, ſtaretque promiſſis, ego verò ad Infirmum, initio morbi, & conſtantibus ſibi viribus vocatus, eumdem interire permitterem, optabamque ut quantum in me doloris erat, tantum eſſent ingenii, ut parem laboribus meis, in Ægrorum curatione, ſortem haberem: Hac maxima ſollicitudine traductus, ſciens initium ſapientiæ, Dei timorem eſſe, Cæmeterium quoddam, à quo timor Dei eruitur, pro mortis meditatione, aggreſſus, ſum, flexiſque Genibus illorum ſcheletron Animas Pſalmo *Deprofundis* auxiliari decrevi, illaſque per Chriſtum Deum verum, & vivum, ut mihi, & illorum mortis cauſam innuerent, & rectam medendi methodum indicarent, obſecravi; En ſubitò temporis momento concuſſa motu terra, quodlibet os moveri, ac naturalem in ſitum ſeponi, venis, nervis, arteriis, quodlibet corpus diffundi videbatur; Tunc ego tremens factus, fugam arripere volens, me illa muta circumdedit cadaverum Turba, factoque à quodam ſpiritu in medio illorum aſſidente, cadaveribus nutu, ſurrecta corpora, ſolutis invicem ſodalitatis officiis, hilari fronte ſecum alloqui cæperant, dixitque illis ſpiritus.

Dal Dio ſempre vivente oggi s'invita

A dir chi tolſe a voi aure di vita.

En' confeſtim aliqui Medicos, multi Pharmacopolas, non pauci Chirurgos accuſantes, omnes quaſi unitim Medica ab arte peremptos conſtanter dixerunt. Tunc ego, abducto longiùs metu, animum ad fortitudinem excitans ultro ſilere non potui, dicens; Ergo vana, & damnoſa eſt Medicina? Nequaquam reſpondit ſpiritus: Deus creavit Medicinam, quia Deus per Medicum vult cum homine placari ablatam illi reſtituendo ſalutem, verùm res eſt adeo periculo plena, ut ſatius perſæpe ſit Deo, & ejus Omnipotentiæ relinquere ægrotum in naturali periculo conſtitutum, quam illum novo medicamenti periculo exponere; Quadruplex ignorantiæ caligo una intravit in profeſſionem medicam, nimirum inſcitia cauſarum, modi fiendi, remedii, & coaptationis; Cauſarum inſcitia, ob oppoſitas infinitorum Auctorum ſententias, modi fiendi, quia deliteſcit vera pharmacia jam non ultrò in Medicum ſed in mulieres delata, remedii ob cæcas deſcriptiones, ac uſum maledictorum quorundam Syruporum, Electuariorum, Trochiſcorum, ac conſimilium officinæ aromatariæ farciminum, coaptationis ob neglectum medicationis, compoſitionis, executionis debitum tempus. Refrixit inſuper charitas, & introducta eſt ignavia, ſive malitia, partamque inſcitiam confirmavit uſus. Refrixit etiam erga Deum ægrotantium confidentia amor, & reſſignatio, quare Deus dona ſua retraxit, acriterque torquet indeſinenti ſupplicio confidentes in homines. Hortor te ut in omni tui medicatione à Deo auxilium petas, & benè tibi erit. Medicum naturæ miniſtrum appella revera Medicum, illiuſque auxilium roga, qui ſana mente, candore, veritate, integritate, ſepoſita omni levitate ſuum præſtat officium. Caveas ne in quorundam Pharmacopolarum capitula incidas novandis potius, quam gerendis rebus aptiora, caveas, ne ſub ſpecioſo vilioris pretii titulo paleam pro fæno, Paradiſum ſimul ac Cæmeterium tibi offerant; Caveas à tumulentis Chirurgis, qui pellem in humanam ut laniones ludunt; Quoties vitæ tuæ bonos defenſores non habes, ſi infirmaris, pete locum illum, ubi deſint Medici, Pharmacopolæ, & Chirurgi, ne quæ vita, ſumma Dei miſericordia per reſolutionem ceſſatura tibi elargita eſt, per vim, aut inertiam Artificum violenter auferatur. His dictis ex illa magna Turba nonnullos ex Senioribus mihi adduxit ſpiritus, mandavitque illis, ut arcanum indicarent, à quo tantam longævitatem ſurreperint; Dixeruntque multi à recto ſex rerum nonnaturalium uſu totum negotium dependere, quæ ſi exactè cuſtodirentur, nullus eſſet tam ſenex, qui

aliquot adhuc annos vivere non poſſet, & adhuc viveremus, ſi potius vitæ tedio, quam moriendi jure affecti, illas ſervare voluiſſemus. Alteri verò dixerunt aqua, & ſanguine, atque remedio ſubſtantifico morbis, & ſanguinis diatheſi accomodato, ad legem Phyſici, & prudentis Pharmacopolæ ad praxim deducto, magnis ab eorum infirmitatibus citò, tutò, & jucundè evaſiſſe, omneſque demùm alta voce exclamaverunt, nullam meliorem Medicinam eſſe; quàm paucis medicinis uti. Emiſſum hoc interim deſuper ex improviſo fulgur turbam amovit, atque me à ſomno excitavit, & in eventus narrationem vobis porrigendam per quam maximè coegit.

XIV.

Epiſtola ad Artis Tirones.

FRatres: Quidam practicus lauream promeritus quadam in Academia ab inſigni Medicæ artis Magiſtro, titulo, & privilegiis coronabatur; Cærimonias quaſdam, ac formulam cujuſdam juramenti, meritò poſt Orationem Dominicalem ab omnibus ſingulo mane habendam notavi, quam vobis reticere minimè volo. Egregiè diſcuſſis Philoſophicis, ac Medicis punctis, ſolutiſq; oppoſitionibus, hos tandem in accentus prorupit. *Teſtor Deum Omnipotentem me hoc juſiurandum pro virili ſervaturum; Præceptores, qui me hanc artem docuerunt, & ad hunc honoris gradum evexerunt, parentum loco habiturum, victus rationem ægris commodam, & ſalutarem præſcripturum; Neque ullius interceſſione noxium pharmacum cuiquam propinaturum, ſed ſanctè, & caſte vitam, artemq; meam inſtituturum; In quaſcunque Domos ingrediar, ad ægrotantium duntaxat ſalutem ingreſſurum, & ab omni injuria inferenda procul futurum; Quæcumque inter curandum videro, audiverove, ſi quidem ea efferri non expediat, ſilentio ſuppreſſurum. Hocce juſiurandum integrè ſervanti mihi, & vita, & arte feliciter frui contingat; Si ſciens fefellero, & pejeravero, contraria omnia eveniant;* His dictis, collatiſq; illi honoribus cum pompoſis ſolemnitatibus, Magiſter dixit; Exue calceos juvenilium affectuum, affectus pietate compeſce, cupiditates moderetur probitas, ſtudia charitas dirigat, & eris carus Deo, & hominibus. Memento quod ſanitas ſolius Dei munus eſt, Deo autem modeſtia placet, & humilitas: Hominibus

minibus verò vocari in partem lucri, & laudis, quod mente habeas. Tuum ſit tui cultum omnem prohibere, Dei inculare, & nulla non occaſione docere, ipſum eſſe, qui te ſalutaria præſcribente, ægro uſurpante, ſolus dare ſanitatem poteſt. Sanitatis, à qua robur omne, & fortitudo corpori eſt, præcepta aliis faciendo perſuade, non ſuade dicendo: Libertatem tibi dono, quod debes, faciendi, non quod vis, niſi velis quod debes: Turpe ſit niſi in libris non ſapere, inpromptu conſilium habe; Non liceat autem tibi deinceps libros ſcientiarum rivos claudere: Nam ſicuti non ſufficit ſemel rigari prata, quibus ſemper novam ſitim ſolis calor facit, ita nec ſtuduiſſe, & bene, ſatis eſt his, quibus nullus non dies aliquid pridem noti ſubtrahit, & apportat aliquid novi, & ignoti; Caveas inſuper in morborum curationibus, ne in peccata, quæ committuntur à Medicis admirandis incidas, putantibus, niſi quis introgreſſus ad Ægrum, deinde ſuccingens ſe, vel cataplaſma impoſuerit, vel perfuderit, vel medicinaverit, vel aduſerit, vel clyſterem indiderit, vel cucurbitulas adiunxerit, vel confricaverit, aut hujuſmodi aliud factitaverit, nihil ab eo geſtum eſſe artificioſum; hi enim quoties ægrum accedunt, toties peccant: Menti quoque habeas Nobiles, pauperesque, liberos etiam, atque ſervos æqua lance medicari. Hæc ſerva & omnia benè tibi erunt. Stringo tandem te, & oſculi vice, dexteram tibi porrigo, Deoque æterno, ac Omnipotenti ſit ſemper gloria. Omnibus attentè auditis, atque iterum omnia ſpondens laureatus Doctor, gloria, & honore coronatus abiit, poſteris dogmata fideliter ſervanda relinquens, quæ vos ſcire, ac itidem ſervare per quam maximè neceſſarium duco, ne ſpurios Hippocratis filios meritò vos increpet vulgus.

XV.

An Matrimonium condeceat corporis ſalutem.

MEnſis adhuc non præteriit quo ad cænam mihi in Horto aliquibus ab Amicis condictam acceſſi, in qua cum iam ſecundæ menſę bellaria afferrentur à ſodalibus non pauca ad tuendam

ſanitatem mihi differenda propoſita ſunt, poſtremo concorditer quærentes, num corporis ſalutem condeceat Matrimonium, conticuere omnes, intenti reſponſum ſpectantes. Maximum ſiquidem argumentum problematicè tractandum, non jocoſo in convivio enodandum dixi; aſt ſingulari ſtudio reſponſum contendentibus (circumſpecto, num aliqua eſſet fæmina viridario) ſic me coactus illis accomodandum duxi; *Matrimonium*, ex Iſiodoro Peluſiota, *arbor eſt ramos proferens, cum quibus, & curæ, & mærores effloreſcunt: Matrimonium* ex Gregorio Niſſeno, *eſt tanquam gladii capulus ornatu undique cinctus; reliquum verò ferrum, mortis eſt inſtrumentum:* Matrimonium, & ab aliquibus dicitur una ex grandioribus pænis nobis, primis à Genitoribus, per Hæreditatem translatis, & infernum ipſum, vel ſaltem inferni maximam partem edicere minimè timent, *cujus conditor*, ut aſſerit Plinius de aeneo bove, *elaboraverat, ut ex eo tormenta fierent;* Si vos minimè latet ſodales ad corporis ſalutem neceſſarius ſex rerum non naturalium rectus uſus, iam videtis quanam ſalubritate gaudere poſſit coniugatus Homo. *Aer* furentis Vxoris inficitur halitu, *cibus & potus* exotici guſtus contaminantur pruritu, *motus, & quies* moderni ritus alterantur quærimonia, *ſomnus & vigilia* humorum conſternuntur varietate *excretio & retentio* frequenti abolentur Zelotypia, *animi pathemata* quotidianis elaſticantur à rixis. Quid igitur ſalutis ſperandum in coniugio? Mors à Venere incæpit, & ab eadem acceleratur ex Van-Helmontio. Ad majora progrediamur. *Coniuges* juxta mentem Baſilii *ad unumquemque partum aliquid de anima reſeccantur*, & mehercule hominem ſolum dixiſſet, ſi & ille mulieres ſolum paſſivè ſe habere procreando credidiſſet; Epicurus, Avicennas, Hippocrates, Plato, Ariſtoteles, & alii ſatis coitus nocumenta manifeſtant; *Reddere debitum, vel cedere bonis*, nullam ad hominis ſalutem conducere poſſunt. Spiritus triſtis exſiccat oſſa, per Venerem enervantur vires, ergo per Matrimonium omnis conſternitur vita: Animi pathemata *zelus, iracundia, cogitatus* ex Eccleſiaſtes *minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducunt*, habito coniugio, zelus, iracundia, cogitatus, multifariam in hominem irrumpunt, & in terga, & in latera, & in ventrem dura ſunt omnia. *Jam Pater habens Filios*, ex Chriſoſtomo *non vivit, cujus anima in tam varias rerum, & perſonarum neceſſitates diſcerpitur, ac dividitur, qui tot hominibus inſervit, tot aliis vivit, ſibi autem ſoli tempus omne vivendi pænitus denegat.* Vivit ergo homo coniugatus, & non vivit, vivunt verò in illo curæ, mærores, paſſiones, inquietudines, diſſenſiones, vanitates, ſobrietates,
exu-

exuberantiæ, pracmaticæ, omneſque oppoſitæ particulæ elementares, in ſumma in illo vivit *plaga diſſidii*, & cum difficilis ſit harmonia inter Maritum, & Vxorem, ubi *harmonia non eſt*, *pugna atque diſſenſio erit* ex Ambroſio, fiuntque exinde homines Dæmones, mulieres Eumenides, & chorus animarum damnatarum liberi; Videte igitur ſi Matrimonium condecet corporis ſalutem; dummodo illam Senecæ non quæratis, *una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.* Verùm ſicuti Architectis veterem maceriem inſtaurare volentibus perſæpe accidit, quod omnes confeſtim corruant lapides; Sic mihi malos effectus Matrimonii deſcribenti, en confeſtim in mentem irrunt rationes contrariæ affirmativam partem ſuſtinentes,

XVI.

Probatur pars affirmativa.

QVouſque hoc in Mundo extiterunt nuptiæ contractus civiles ad legitimam prolis humanæ propagationem inſtituti, fructus earum amari, acres, mordentes, graves, & undique circundati ſpinis erant. Poſtquam Deus eaſdem ad plenitudinem gratiæ, ad perfectionem Sacramenti evexit, factæ ſunt arbores dulcedine plenæ, ſurculi vitæ, arbores Paradiſi. Divinitatem ſapit hodiernum Matrimonium metipſius Dei cum natura humana Coniugium enuntians, Chriſti nuptias cum Eccleſia, & animæ ſponſalia proferens, habito per Spiritum Sanctum indiſſolubili vinculo; Fructus igitur radicis ultro timendi non erunt in Matrimonio, ſed ſperandi fructus ſurculi, Divinæ ſcilicet Gratiæ, à qua benedictiones, tranquillitates, ſalubritates integra valetudine hominem confirmantes oriuntur. *Formatus eſt homo de terra, conceptus in culpa, natus ad pænam.* ex Boetio, condidit quapropter illi miſericors Deus adiutorium, ſcilicet Fæminam, ut per Matrimonium ſuſtineatur in caſu, levetur à pæna, triſti ſoletur à ſpiritu; *A Domino aptatur mulier viro*, Proverb: ſcilicet homini aptatur præſidium ſuis in infirmitatibus, in quibus, ſine muliere ingemiſcit, aptatur ſalus, excretis ad libitum humoris ſeminei exuberantibus particulis, quæ perſæpe ſanguinem effervescere faciunt, & feſtinam necem inferunt. Quis non delectatur in Muſicorum inſtrumentorum diverſitate, ubi diverſa fila, chordas

das oppoſitas, nervos tranſverſos, unus halitus animat, una dextera regit, & moderatur, gratioſa exinde cantus, & ſonus modulamina reſonare ſentiens? O quam bonum, & jucundum habitare fratres in unum? Quis non delectatur in humorum diverſitate, genii varietate, diverſis à corporibus unum ſpiritum, unam Animam obſervans, quæ duobus innixa corporibus non niſi longiori valetudine confirmatur; ergo quare & Matrimonium non condecet corporis ſalutem? Manent mirabili lege in nubibus, ignis in aqua, & aqua in igne, hic illam non exſiccans, & illa iſtum non extinguens, quare, & in proventu ærumnarum non permanebit ſalus in Matrimonio? Ubi ex aſſidua ſpirituum attritione, cerebrum clareſcit, teter humor eliminatur, humores defæcantur, atque tutiori valetudine animal confirmatur. Diſpoſuit Deus ſuaviter, atque Mulier noſtrum in adiutorium data, ſi ſuaviter tractatur, quæ plus excellit gratia, nobis ditius ſuffragium affert.

XVII.

Coitus quomodo, & quando ſalutaris.

DIſcuſſo ſuperioris problematis argumento; Coitus quomodo, & quando tutò exerceri poſſit, illorum nonnulli enixè poſtularunt, quibus annuendo dixi, ſaluberrimum juxta Gal: opinionem coitum eſſe, dummodo inter unum & alterum coitum tantum intervalli adhibeatur, ut nulla poſt coitum ſequatur reſolutio; Dum enim ſemen eſt ſuperfluum, & excernitur, tantum abeſt, ut fiat reſolutio, ut potius corpus ſarcina ſeminali exoneratum majores vires aquirat: Si verò evacuatur ſemen, quando non redundat, tunc ut cum Gal: loquar, falcultas expellit illam ſeminis portionem, quæ eſt deſtinata nutritioni vaſorum ſeminalium, unde vaſa hæc evacuata violenter attrahunt à ſuperioribus viſceribus ſpiritus vitales, & materiam ſeminalem, ideſt pinguem, & oleoſam, ſeu puriorem ſanguinis partem, unde ſumma debilitas viſceribus ſuboritur, cum vitæ balſamo defraudentur: Intervalli autem menſura deſumi poteſt à duobus præceptis ipſius Galeni, nempe ſi homo poſt coitum ſe levior quodamodo ſit factus, ideſt agilior, & aptior ad omnia munia obeunda, tunc intervallum inter præcedentem, & ſubſequentem

coi-

coitum erit opportunum, & naturæ admodum utile, quòd impoſterum illud idem erit obſervandum; Secundo quando poſt coitum homo melius, & facilius inſpirat, dum enim ſemen copioſum retinetur, ſuffocat, ut Gal: verbis utar, calorem, & ſuffocando minuit operationes animales, vitales, & naturales, & præcipuè reddit reſpirationem pigram, quia in reſpirationis munere concurrunt 89. muſculi: Ne autem quis veſtrum in recto coitus uſu decipiatur, attendite ſigna, ſeu mala, quæ ob retentionem ſeminis ſuperflui contingere ſolent, ab ipſo Gal: propoſita, & ſunt ſex, videlicet capitis gravitas, cibi faſtidium, febris periculum, coctio diminuta, torpor, & timor; Ob nimiam autem ſeminis evacuationem ſubdit ille quemdam Satyrum fuiſſe factum tabidum, ex uſu importuno coitus, vitam abbreviari, accelerari ſenectutem, minui memoriam, cerebrum, & cor refrigerari, calefaci renes, & Jecur; Immo ex Aetio exolvuntur vires, aggregantur cruditates, fit ſenſuum hebetudo, oblivio, tremor, dolor articulorum, nephritis, morbi veſicæ, oris graveolentia, dentium dolores, gurgulionis inflammatio, ſanguinis ſputus, & alii plures effectus pro varia corporis diſpoſitione. Tempus verò opportunum coitus colligitur ex Hipp:, ubi legitur *labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria*, ideſt poſt exercitium ſequatur cibus, & potus, poſt cibum ſomnus, poſt ſomnum venus, qua utere naturæ ſtimulo percitus, non mulieris illecebris allicitus, frangitur enim cervix coacti ſub curri pondere bovis &c.

XVIII.

Mulieres viris longæviores, & cur? Mortis quænam cauſæ inevitabiles.

PRæeſt homo univerſis Animantibus, præeſt hodiernis temporibus homini Mulier, in vitæ inquam longevioris privilegio; Mirabar planè ſenio gravatas in Clauſtris Viragines, juniores verò in Cænobiis Fratres, Viris Seniores Terrarum in ædibus fæminas, pluresqpue ſingulis ferme in Domibus viduas obſervans; illaſque factioſo quodam naturæ beneficio longæviores hominibus no-

notans ; Mirabar Mulieres læthalia mortis diſcrimina, à quibus minime evadunt coniuges, promptius repellere, ac ſpretis mortis aculeis perſæpe Orci fauces illudere, quarum nonnullas, niſi peremiſſet partus dolor, cum immortalitate contendere videremus. Juſtum hoc Dei judicium cenſui, & licet Deus non ſit perſonarum exceptor, quia tamen omnia ex ſui beneplacito diſponit ſuaviter, Mulieres peculiariter ſervare videtur, nam ſexus in adiutorium ſummæ noſtræ fragilitatis datus, ſpeciali quoque naturæ dono gaudere oportebat, quia non ſolum ſe ipſum, ſed & alios ſubſtantia, atque facultate alendi pollet. Huius tamen rei phiſicam cauſam aggreſſus, more ſolito Galenum conſuli, & duas alterationis, & mortis cauſas inevitabiles cap: de Elem:, & de tabe inveni, quarum prima eſt humidi proprii, & nativi exſiccatio, quæ fit à calore non externo, ſed intimo & aquiſito in prima generatione, quamvis hic calor exſiccet cum ſummo Animantium beneficio uſque ad ætatis vigorem, quia exſiccando ſuperfluam Adoleſcentium humiditatem indit maximum robur omnibus corporis viventis partibus, quibus roboratis Animal officiorum ſuorum munera mirificè explet; Cæterum miſerrima Animantium conditio ab eodem quoque calore trahit initium, quia poſt exſiccatam humiditatem ſuperfluam, & poſt inditum robur membris, calor nativus incipit humidum proprium, & radicale depaſcere, eouſque exſiccando, & abſumendo, quouſque vivens ſeneſcat, & præ nimia ariditate moriatur; Secunda cauſa mortis ab ipſo Gal: eſt, quæ reſpicit fluorem totius ſubſtantiæ, quæ continuò inſenſibiliter fluit, cauſa verò mortis ob hunc totius ſubſtantiæ fluorem eſt, quia non tantum alimentis remittitur, quantum quotidie e corpore evolat, non tantum remittitur, quia calor quotidie exſiccat, & indurat ſpermatica ſtamina, unde ſenium & mors ſuccedit; Auxilia, ſi invenirentur pro evitanda morte, duorum alterum reſpicerent, alterum, quod prohiberet ne calor nativus exſiccaret humidum radicale, alterum, ne humida ſubſtantia nativi caloris non plus effflueret, quam nos ſciremus remittere, ſed hæc videntur hactenus impoſſibilia, quia de ratione caloris eſt exſiccare, & humidum reſolvere: Auxilia verò pro retardandis ambabus mortis cauſis, ſunt ea omnia, quę ſubſtantialiter humectant, retardant, ac morantur hanc exſiccationem, ſimiliter ne ob nimium fluorem ſubſtantiæ citò exſiccetur humidum radicale. Hoc poſito, Muliebre genus, ex Galeno, temperatura Maſculino frigidius, per tranſpirationem occultam minùs difflatur, & ob calo-

ris imbecillitatem nullo vel exiguo alimento ad humidi inſtaurationem æget, leviorque illarum calor ſenſim, & non cum impetu humidum depaſcendo radicalem, ultra virorum ætatem perſiſtere poterit, ferocioreſque morbos ſuſtinere, ac longæviores illas efficere; Verum, cum agatur de ſexu, cui moda placet, non ultro cum Antiquis immorabor, ſed ad Modernos, & Recentiores tranſeo; dubitant iſti, an revera detur calidum innatum continuo depaſcens humidum radicale, quapropter durationem vitæ, ejuſque terminum melius explicare contendunt ſimilitudine deſumpta à motionibus alicujus corporis organici, quæ motiones tandiu durant, & benè celebrantur, quandiu partes ſolidæ conſtituentes illud organum non ſunt conſumptæ, cum verò à quotidianis exercitiis illorum partes ſuperficiales paulatim abſumantur, langueſcunt motiones illius organi, & imperfectè celebrantur, donec omnino deficiant, ergo, & juxta iſtorum opinionem, Mulieres, quæ à quotidianis, & violentis exercitiis nequaquam abſumuntur, dominatum ſupra hominum vitam habent, ſcilicet ob magnam earum in humido Potentiam viris longæviores comprobantur.

XIX.

Morbi magni curatio, an magis per venæ ſectionem, an per purgationem obtineri poſſit.

UBI

De Medicamenti opportunitate; & de ſanguine mittendo, cautela;

AC

De intempeſtivo Cardiacorum abuſu.

SAlisburgi Noſocomium in ſomnio prætereuntem, ubi Theophraſti Paracelſi inſignis Medicinæ Doctoris oſſa conduntur, imparata vox me tremore concuſſit, dicens; *Purgatio non eſt ſanatio, ſed tantummodo humoris ſuperflui diminutio*. Immobilis Niobs ad vocem exclamantis ſteti, factaque ponderatione, quod paſſim à pluribus ex Tironibus, vix viſitato Infirmo, quolibet morbo laboranti, purgans, aut leniens offerri ſoleat medicamentum, à quo poſtremò plurima ſcandala, ſcilicet labor, vel exitium non raro ægris eveniunt, præſentis propterea argumenti ſolutionem mihi apponere, non extra rem duxi, qua de re Gal: conſulens, illum ſic dicentem obſervo: Cum morbus magnus eſt, non ſolùm venæ ſectionem, ſed & purgationem indicat, quodnam verò iſtorum potius eligendum ſit, aliunde petendum dixit Trincavellius de Feb:, nimirum vel à natura vacuandi humoris, vel ab ejus motu, vel à natura corporis laborantis: Si enim exempli gratia, ut docet Maſſaria, humores vel copia, vel qualitate, vel quomodocunque præternaturam ſint affecti, longèque diſtent à natura ſanguinis, ſi homo vitioſum corporis habitum, ac temperamentum ſortitus eſt, ſi morbus

natura

natura longior eſt, hinc licet ſuſpicari in hoc homine vires fore imbecilliores, quam ut venæ ſectionem tutò, & commodè ferre poſſint; Ideo deficientibus viribus ad purgationem deveniendum, & hæc conſideratio plurimum facit ad ferendum judicium verius & certius de principibus ſcopis mittendi ſanguinis, non ut præter tres ſectionis venæ ſcopos recitatos ab Hipp: de rat: vict: addantur ſupraenarrati ſcopi à Trincavellio, ſed neceſſarii ſint ſecundariò, non autem primariò, ad denotandum robur, vel virium infirmitatem, quæ admittere, vel denegare poſſint venæ ſectionem, quemadmodum maxima cum cautione deveniendum eſt ad purgationem, quia Hipp:, & Gal: docent concocta medicanda, ac movenda, non cruda, & purgantia medicamenta in morbis acutis rarò adhibenda, dicentes, Medicos, quicumque inflammationes, principio, purgante medicamento ſolvere conantur, non ſolùm ab inflammatione quidquam non adimere, ſed etiam ægros ad maxima pericula, atque ad interitum adducere, ideo cum morbi inchoant, movendum ut plurimum venæ ſectione, rarò purgatione, nam venæ ſectio ſi non prorſus ſanguinem à pravis humoribus expurgat, magnam ſaltem eorum partem, ſi Gal: credimus, educit, ſeu illud certè habet ſingulare, ut non ſit tot nominibus ſuſpecta, quot purgatio, in principiis morborum; Purgationi igitur ſuus ſervetur locus, dummodo ne ipſam venæ ſectionem de ſua dignitate principaliori dejiciamus. Confert hic obſervatio Crolii dicentis; Morbi, qui non egerunt fixas radices, ſed in impuritatibus mobilibus conſiſtentes opus non habent digeſtivis, ſed tutò purgantium ope tolluntur, aut diminuuntur; Impuritates verò febriculoſæ, atque inflammatoriæ nullo modo per purgationem ſanantur, ſed digeſtivis tutiſſimè, & convenienter curantur, & purgatio quantumvis levis ſpirituum Morboſorum efferveſcentias exaſperat, atque ad interitum ægrum traducit; Poſtquam verò ſpirituum fervores ceſſaverint, reſoluta à vinculis materia faciliùs purgationes admittit; Ad rem pertinet juſta Egregii Doct: Sydenam lamentatio dicentis; peccant qui undique, & ubique in morbi principiis cardiaca offerunt; ſemper metuendum, ne materia cruda adhuc exiſtens in cerebri membranas, vel in ipſos pulmones vi cardiaci impellatur, ideoque cautus, & in cardiacis exhibendis quiſquis ſit, maximè ubi morbus ſuccendiculis opus non habet.

XX.

Morborum curatio irrita, niſi & membrorum curatio fiat.

ADhuc me, illa die, ſub dio, in Prato dormientem, à ſomno excitavit Paracelſus dicens, *conſerva membra principalia, & non tam facilè eveniet Mors*: Cogitaveram qualis eſſet illa ſalutatio, cumque contrarium huic aphoriſmo evenire in febribus credideram, quæ illæſis membris principalibus non rarò Infirmos de medio tollunt, me à Paracelſo illuſum hæſitaveram; Clauſis propterea oculis ſomnum inſimulans jacere volui; En noviter umbra dicens, abſque membri principalis corruptione non morietur æger, nec abſque membrorum principalium conſervatione curabitur morbus: His auditis confeſtim ſurrexi dogmata Magiſtri ſuſcepturus, at neminem videns ſeriò cogitavi, ac theorematum veritatem intellexi: Sicuti nullus morbus particularis læthalis evadit priuſquam ex febre per totalem ſpirituum inquinationem ſuperinducta univerſalis fiat, ex Ricardo Mortono, ita è contra nullus morbus univerſalis læthalis exiſtit, priuſquam ex ſpirituum, & ſanguinis motu depravato, particularis evadat; Exemplum habemus in febre, quæ morbus univerſalis eſt, ſine qua nemo moritur, & propter quam ſimpliciter, ut plurimum, nullus moritur. Impoſſibile enim eſt, quin in ultimo vitæ agone non fiat ſenſibilis alteratio, ſeu caloris præternaturalis accenſio in corde, & in ſanguine: Spiritus enim animales, qui ſunt primum principium activum, & quaſi fermentum univerſale totius corporis, in morte quantumvis violenta ſanguinem, & humores exagitant, & in motum præternaturalem expandunt: Nullus e contra ex pura febre moritur, cum *febris* qualiſcumque ex ſenſu Sydenham, *ſit conamen naturæ in ægri ſalutem*, factoque agmine inter naturam, & morbum, nunquam deficit æger, quin prius materies exotica ſanguinem præternaturaliter excandeſcens, unum vel alterum ex ſeptem membris principalibus non ſit aggreſſa, & inde ſtagnatio, & abſceſſus prius non evenerint. Hac hypotheſi mecum diſcuſſa cogitaveram, cur frequentes in febribus eveniant interitus, & mehercule,

quia membrorum nulla fit præcautio, quæ ſi adeſſet, ſtagnationes tam facile non obvenirent, atque ægri evaderent; Qua de re non ſolùm evacuationibus, & digeſtivis, ac dulcificantibus, & diaphoriſim, ſivè diverſim plus, vel minus moventibus, ſed aliquo ſpecifico in morborum curatione, & maximè in febribus ad tuenda ſeptem viſcera principalia, corpus indigere ſummopere exiſtimavi, ne labefactatis viſceribus tam facile mors eveniret, ſed e contra, ut ipſis conſervatis, valeret & natura per canales excretionibus dicatos peccantes detrudere humores; Specificum iſtud non niſi ab ipſo corpore humano ervi congruenter poſſe judicavi, ut ſimilia ſimilibus conſerventur: Nullum enim eſt membrum in homine, nullave pars, nullumque excrementum, quod ſua non vigeat virtute, & medica non polleat facultate. Excepto quapropter corpore ſano microcoſmico, extractum commiſſi, quod exibitum febricitantibus, & ipſis ſenio gravatis ad calorem exſuſcitandum, membriſque robur addendum, cecidit ut optabam, atque non ſolum morborum curativum, verum, & validum præſervativum ſubſtantificum omogeneum fore expertus ſum.

X X I.

Vinum an Febricitantibus offerendum?

MIraris Domine NN. quod omnes ferè noſtri temporis, Medici, deteſtantur in Febricitantibus omnia vina, cumque de ejus natura, & temperie diſcrepent Auctorum ſententiæ, quæris proinde a me, an tutò Febricitantibus vinum offerri poſſit. Cui ſic reſpondeo. Vinum calidum eſſe omnes conſentiunt, ſed an calidum ſit, & humidum, an calidum, & ſiccum diſſentiunt. Verùm Etmullerius ait quod putata iſta vini caliditas, non eſt metuenda, qui ſic procedit, (uſus vini Medicus certè nobiliſſimus, & ſaluberrimus eſt; Duplex enim in vino eſt ſubſtantia, una ſpirituoſa, & volatilior, altera acida, & paulò fixior: Ratione partis ſpirituoſæ recreat ſpiritus, unde aurum vegetabile, potabile nuncupatur, & ratione ejuſdem partis ſpiritoſæ, inſignem vim habet temperandi humores acidos in corpore ſtabulantes, ut videmus ſpiritum vini, acidos minerales ſpiritus ſua conjunctione dulcificare, & propter

ſubſtan-

ſubſtantiam ſuam penetrantem corruptivæ reſiſtit putredini; Ratione verò partis acidæ, vinum eſt valde gratum ſtomacho, affectibuſque ſtomachi confert, item ratione acidi conducit in febribus ardentibus, in quibus tutiſſimè poteſt propinari, vulgò clamant vinum calefacere, ſed quantillacunque pars eſt vini, quæ calefacit: Certè plus quandoque viſum eſt in febribus tam continuis, quam intermittentibus prodeſſe, quam Juleppi, aut alia operoſæ compoſitionis medicamina) Vinum etiam in febribus malignis per quam optimum exiſtimat Lucas Tozzius, ſed modicum, & dilutum, ſolo quippe vini uſu à feb: malignis liberati referuntur, eſt enim cardiacum, ſimulque alexiterium, & ſudoriferum, & Auctor ſic habet; Mirum verò, quod plerique noſtratium vini uſum damnent, ut nec illud guſtare permittant, hinc factum eſt ut adhuc ab ejus nomine vulgus hominum deterreatur. Verùm Hipp: innumeris ferè in locis vinum Febricitantibus commendat, & exibendum eſſe præcipit ſimilitèr & Gal:, neque de calore illius verendum, nam præterquamquod in illorum corpore calor exoptetur ex documento ipſius Gal:, qui vino utendum docet etiam in febre ardente, quam ſincopes comitatur ex bile amara progenita, ab ejus enim uſu moderato diureſis, & diaphoreſis ſollicitatur, & præterea ſtomacho ſuccurritur. Nunquam & ego in febribus, quas ſuſtinere debui, vinum deſerere volui, quod juxta ſcripturam *lætificat Deum, & homines*, & in Proverb: habetur, *date ſiceram Mærentibus, & vinum iis, qui amaro ſunt animo, bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*; *Nec quæſo*, ſubdit Van-Helmontius, *horreat Medicus vini uſum in ulcere, & febri, nam eo ipſo, ut ſapit Alchali, vini vires, atque proprietatem amittit*; Verùm juxta Septalium cautius procedendum, & nunquam ratione morbi eſt concedendum vinum, aliquando verò ratione cauſæ, & Symptomatum, tum etiam eorum, quę ſecundum naturam dicuntur, & virium; Si autem ob tales cauſas in uſum duci debeat, potentius potius eligatur, quod multa aqua diluatur. Si ultro admirandas vini virtutes ambis, Canonherium, atque Ruffum conſule, nam cum conſentientes Hipp:, & Gal: atque noſtri ævi magni nominis Medicos ſentiam, nihil mihi ultro dicendum remanet. Cumque Vinum album auſterum ſenſibilem refrigerandi vim habeat ex Gal:, negare & ego non poſſum non inveniri vinum, quod refrigeret febricitantes, iiſque quod convenire non poſſit. Sit autem modus in rebus, ab uſu enim vini nimio non levis corporis noxa imminet, & ſi tutiùs procedere ſatagis, pulverem

rem ocul: Cancrorum vino immiſce, & non erit febricitantibus noxa.

X X I I.

Vtrum Mulier Hydropica Aſcitica, ſit habilis Matrimonio, & generationis capax.

CUM ad primam noctis facem in Civitatem reverſus, domum peterem, confeſtim in ſpetaculo admiratus hæſi. Mulier quædam nomine Roſina offerebatur ætatis circiter annorum 22. cineritio amictu induta, ramulum cupreſſi in læva, acutique gladii cuſpidem dextera pectori inferens, per viam excurrens, quo ſe vergeret neſciens, ſed vix procedens, eodemque paſſu delabi videbatur, circinumque confractum ſecum ſub pedibus trahens (Deſperationis imago erat). Clamoſa & excandeſcens triſtes in accentus contra Prætorem prorumpebat, cum ab ipſo, Hidropis aſcitis cauſa, ad cælibatum condemnata eſſet, ſupplex propterea obvios omnes, ad nervos ſuæ defenſionis non ſolum diligenter, ſed etiam fortiter ſuſcipiendos impellebat. In gratiam tantæ Juvenis ſimul & ego quæſtionem hanc curioſam, & ſuis difficultatibus hinc inde obviam problematicè tractare promiſi; Cum autem plurima præmittenda neceſſe duxerim ad quæſtionem, ſine quibus enodari minimè quiret, hinc per gradus quodamodo ſternenda erit via, claritate, ac brevitate, quibus ne quid deſit ad intelligentiam, nec ad patientiam laceſſendam aliquid ſuperfluum accedat: Ex quatuor capitibus quæſtio emanare videtur, quibus non excuſſis, vel inanis hæc fieret; Primum an ſupradicta Mulier ſit ad concubitum apta, ſecundo an ad conceptum, tertio an conceptum gerere, & poſtremò an parere valeat. Res ſanè obſcura, & difficilis, ſed antequam quæſtionis vim aggrediar, nonnulla delibanda operæ pretium duco.

XXIII.

De Natura hydropis.

IN trifariam dividitur Hydrops, in Aſcitem, Tympanitidem, & Anaſarcam: Aſcitem quoque tripliciter obvenire eſt notandum, ſcilicet à ruptura, ab apertura, & ab eroſione vaſorum, quod breviter delineabo: Movetur ſanguis mechanicè non propria virtute, ſed cordis impulſu à ſpiritu habito: Succedit aliquando, quod ſpiritus effæti, & minus vegeti ejus circulationem abſolvere nequeunt, vel quod aliunde contracta acida diatheſis ipſum in circulatione retardet, & per cordis Syſtolem ejus curſum verſus cor præpediat, productis hiſce de cauſis obſtructionibus in hepate, liene, pancreate, meſenterio, aliiſque glandulis conglobatis, & conglomeratis, auctaque propter moram ſpiſſitudine, à qua major mora augetur, & ſpiſſitudo fovetur, repletis ab hiſce concauſis vaſorum ſpatiolis minus remanet ſpatium circulandi, diſtentis proinde vaſis, & quodamodo ſtrangulatis, dum ſanguis ab arteriis in venas progreditur intra compedes non poteſt ultro detineri ſerum, quin liberum ſecedens, oſcula vaſorum per anaſtomaſim aperiendo, vel per eorum tunicas tranſudando, aut ipſas rumpendo in cavitatem Abdominis, tacitis actibus ſecernatur, ac ſequeſtretur, & ex illa perenni depoſitione, partes incrementum capeſcant, atque in ventre augeatur aſcitica inflatio. Hoc mihi ex obſervatione Loverii innoteſcit, ex ligatura venæ cavæ canis infra cor, quæ brevi tempore aſciticum canem effecit, & ex ligatis illius venis jugularibus in hydrocephalum adductum canem notat Auctor. Hac hypoteſi data, videamus an Judicis ſententia mulierem Hydropis cauſa ad cælibatum condemnantis æquitati, aut ſaltem probabilitati reſpondeat.

X X I V.

Probatur pars negativa:

MUlierem video floridæ ætatis aſcitica inflatione tumentem; ideo illam aſciticam confirmatam à ruptura, vel ab apertura vaſorum credendam, & ego autumo, ſuper quam hydropis ſpeciem filum meum dirigo. Mulier hæc vix concubitus capax erit, & licet natura ex Ariſtotele Mulieri partes fecerit congreſſui maſculino neceſſarias, hoc tamen credendum in enarrata infirma noxium coitum fore; Omnes enim practici, & ipſas valetudinarias à virili commercio prohibent, ergo majori de cauſa aſcitica condemnanda venit cælibato, quia Mulier aſcitica eſt abſolutè Mulier infirma, cum non ſit ſecundum naturæ ordinem, & corpus neutrum repugnet ſententiæ Ariſtotelis cap: de oppoſ:, & Platoni in Dialogo de Juſto, tum quia ex Hipp: in Venereo uſu agitantur, & conquaſſantur humores uſque ad virium debilitatem, & ex Avicenna totum debilitatur, quia à toto totum emungitur ſaltem ſecundum partes organicas, ac qui Epicurro credit, & ſemen Muliebre non deridet, ipſum ſemen eſt Animæ, & Corporis fragmentum, ergo in congreſſu conquaſſabitur aſcitica, inflationemque majorem cum uberiori limpharum extravaſatione ſubibit, & ut verbis Levitici utar, ingredientur aquæ multæ in ventrem ipſius, & putreſcente femore, putrefiet uterus. Dato autem quod dicta Mulier poſſit ſine noxa coitum ſuſtinere, deſperanda videtur ſubſequens conceptio: Adducendæ eſſent hoc in loco ſpinoſæ nonnullæ controverſiæ.

X X V.

(De Conceptione, & Sterilitate.)

AD conceptionem requiritur ut ſemen Maris introſuſcipiatur, in loco idoneo foveatur, & illi ſubminiſtretur conveniens pabulum,

lum, Ouvaque Muliebria taliter diſpoſita eſſe oportet, ut quæ à tuba Fallopiana per concuſſionem actus Venerei evelluntur, ac in vterum decidunt, ſint ortui diſpoſita, & ad certam quamdam viventium ſpeciem accedant; Spiritus enim genitalis Maris ſub craſſioris ſeminis tegmine excretus, utero ſuſceptus, fæcundat ouva Mulie-bria, ſi verò iſta ovula potius mortis, quam vitæ ſint imagines, conceptio vel nulla, vel monſtruoſa erit, & uterus ſqualido madore perfuſus, ſentina erit putreſcentis cadaveris, non arca viventis, ouvaque morboſa animantis formam induere non poterunt, ex corporibus enim ſanis, ſemen ſanum, à morboſis morboſum ex Hipp.

Igitur hæc fæmina, quæ variis, & multiformibus vitiis teſtium, ovorum, uteri, vaginæ, immo totius corporis laborat propter contractam nimiam humidam intemperiem, conceptionem fruſtrare conabitur, maximè ob imminentem uteri procidentiam, quæ facilè evenire poterit, metipſam proprii viri admiſſionem lædentem. In generationis enim negotio requiritur magna, & certa quædam proportio, atque harmonia maris, & fæminæ, & in ſpecie magis in ſexu fæmineo, quam maſculino cauſam ſterilitatis latere omnes aſſerunt practici; *Unum enim vitium inculpat hominem ſcilicet ſemen, infinita verò reddunt ſterilem Mulierem* ex Etmullerio.

Igitur conceptioni inhabilis videtur prædicta Mulier, maximè ſi ex ſupradictis in ſubdiviſione hydropis repetatur doloroſa ſeries. Dato etiam, quod concipere poſſet; Concepti augmentum perfici nimis difficile erit; Quodnam enim alimentum præſtabit fætui carens Mulier neceſſario? Quid concurrere poterit ad figurandum fætum, ejuſque partes carnoſas efformandas?

X X V I.

(Nonnulla de Fætus nutritione.)

NUtritur fætus, atque incrementum capeſcit media vena umbilicali, & media nutritione per os in utero: Per os deglutiendo humorem limpidum albugineum in amnio contentum ex utero per membranas tranſudantem, qui chylificatur fætus in ventriculo, & ſegregatur in inteſtinis ſub nomine mæconii: Per umbilicum ſimul advehitur nutrimentum, quod ſanguinem eſſe maternum in pla-

placentam ex vaſis uteri delatum cum ſanguine fœtûs per arterias umbilicales ad placentam translato miſtum, & cum vena umbelicali ad fœtum delatum.

Quemnam igitur ſuccum ſugere poſſit, quonam ſanguine irrorari, perfundi, dilatari, nutriri fœtum poſſe, deducant qui iam deſcriptam morboſam ſtruem in aſcite didicerunt. Verùm concedamus, quod aliquo pacto poſſit fœtus in tanto humorum vitio nutriri, hoc tamen non obſtante non improbabilis videtur futurus abortus, & ratio eſt.

XXVII.

(Cauſa proxima Abortus.)

CAuſa proxima, propter quam fœtus, & conceptus non retinetur ad abſolutum geſtationis, & partus tempus, eſt in utero, cujus, vel præternaturalis coarctatio ex irritatione conceptum fœtum excludit, vel ejus præternaturalis relaxatio eumdem ad debitum tempus retinere nequit: Membranoſus, & fibroſus eſt uterus ideo ex fibrarum tono naturali dependet ut retineatur fœtus, igitur relaxato earundem fibrarum, & membranarum tono, lædetur debita fœtus retentio, ut ſileam fœtus debilitatem, viſcerum intemperiem, oppreſſionem, & pondus aquarum deſuper ſtagnantium. Datis poſtremò omnibus antecedentibus, timenda adhuc eſſet partus fœlicitas: In partu requiritur vigor Matris, & robur fœtus; Mater morboſo in vitio conſtituta nulla vi poteſt pollere ad fœtus excluſionem, & propter abdominis aſciticam inflationem, muſculi ipſius una cum Diaphragmate contractionem debitam inire non valebunt, nec debitam fœtus excluſionem promovere. Debilitatus ob hanc cauſam magis magiſque fœtus ſe à vaſis umbilicalibus diſtricare minimè poterit, ideo vel laqueo ſuſpenſus, vel unda immerſus ſuffocabitur in itinere cum Matris jactura, ergo non improbabilis videtur aſſertio ſive ſententia Judicis Mulierem ad cælibatum condemnantis, utpotè ad Matrimonium inhabilis: Verum quia plurima, quæ facillima primo intuitu nobis occurrunt, difficillimo non raró negotio reducuntur ad actum, ſic è contra, quæ prærupta, & veluti inaceſſa deſperantur in exordio, ſenſim lenita jucundiùs

 per-

perficiuntur, ideo pro ſolutione problematis, ſequentia aggredior; in quibus

XXVIII.

Probatur pars affirmativa.

VEneris uſum ſuadet Gal: in morbis à pituita ortum habentibus, & coitum multum catharri emungere dicit Hipp:; Cur ergo damnatur ad cælibatum aſcitica Mulier, ætate adhuc juvenili, quæ potius ad tuendam ſalutem Veneris voluptate affici deberet? Quid officit, quod dicta Mulier concipere, conceptum ſervare, & ad lucem edere non poſſit partes habens congreſſui Maſculino neceſſarias. Non elatio ventris Venereum ad congreſſum inepti, quis ignorat naturam ipſam varios docuiſſe prægnantibus modos in Venerem; Si igitur recipiendi, cur, & concipiendi capax non erit, maximè in hoc caſu, in quo ut plurimum vix receptum ſemen conceptum prodit, ut experientia ſæpè numero demonſtravit. Si igitur nulla difficultas in recipiendo, ergo neque in concipiendo, quod ſic ulterius oſtendo; Per aſcitem hydropeſim non vitiantur vaſa muliebria generationi dicata, neque debilitantur recipientia ſemen, ergo contractum ſemen virili in commercio retinere, fovere ad fætum efformandum ſine dubio capax erit; Aſcites enim eſt in partibus longè diverſis à partibus genitalibus, nec quidquam cum vaſis ſpermaticis, ſive oviferis habet, vnde lædere, aut impedire per comixtionem materiæ inficientis conceptum queat, qua de re augebitur fætus in utero, ut in loco proportionato, & ſibi debito exiſtens, in quo alimentum defæcatæ nutritionis recipiet, calorem ſentiet, & naturali ſervatus in clauſtro nil recipiet detrimenti, quinimmo vegetior in die evadet, puriori ſanguine perfuſus à venis, & defæcatiori limpha ablactatus in utero, impurioribus ſanguinis, & limpha um particulis in ventrem delatis, illuc data porta, ut in partem debiliorem confluentibus; Sicuti enim particulæ, ex Gal:, inter ſe, altera ab altera, nutrimentum trahunt, ita altera in alteram, quod ſupervacaneum, & noxium eſt, in ſe deponit, trahentium enim ea vincit, quæ eſt validior; Neque ſuperiori ab unda coerceri poterit extenſio vteri in fætus augmento, nam preſſa ubique cædit naturaliter

aqua,

aqua, poros, ac glandulas vicarias irrumpendo, ac ineundo; Si quæ difficultas eſt, in partu foret timenda, ſed re bene perpenſa nullam nec video ad parendum difficultatem, vires enim quæ tali in caſu requiruntur nullo modo prægnationis tempore minui poſſunt, nec concepti robur aboleri: Immo cum ad partum facilius edendum requiratur, ut extendantur uteri ligamenta, ut promptius dimoveatur conceptum maturum, hoc mehercule facilius in Aſcite præſtari poterit, ubi dicere auderem, naturam ipſam ſpeciali providentia in hoc occurſuram ad partum promptius edendum, demiſſis in ſubſidium limphis ſuperioribus, ita ut tanto impetu irrumpant per diverſas vias metipſæ limphę, vt non ſolùm pariat, verum etiam ſanitatem aquirat, ergo probabilior videtur aſſertio, quod prædicta Mulier concipere poſſit, conceptum gerere, & parere; Cumque Medicina duobus pedibus innixa ſemper procedat, experientia ſcilicet, & ratione, ſi ultra adductas rationes, experientiam in Judicium vocamus, hydropicarum Mulierum non paucæ coniugii, ac partus fælicitatem obteſtantur, cujus rei, ſi curioſus quiſpiam exemplum ambit, Egregium Doct. Morigiam conſulat, qui cujuſdam Centurionis Mulierem hydropicam aſciticam, prole fæcundam in Oppido Aronæ ſupra Urbanum Lacum, nuperrimè non modo non vidit, verùm, & curavit. Vade igitur venuſta Roſina ratione, & experientia idoneè munita, majoris Judicis, poteſtatiſve opem implora.

X X I X.

Infortunati Medici Querelæ:

ÆStu flagrabat Syrius, quum præterita Æſtate quamdam proficiſcens Civitatem, clamoſum ob præclari in domo obortum tumultum, moram contrahens, quid perturbatio illa maxima portenderet, & ego in via cum inſolenti filiorum turba attendere volui. Egreſſus eſt ædem Medicus quidam, quem Pytagoræ dixeris filium contumeliis affectus, ignavia accuſatus, reus mortis factus cujuſdam pueri octo annorum, ob illi ſanguinis miſſionem in tertia comiſſam ante eruptionem morbillorum, quibus eruptis ob perniciem morbi, in ſeptima obiit. Triſtis, atque iratus juremerito Medicus, pede extra Januam poſito, domo reſpecta, illud Hipp. ad Democritum excla-

exclamavit. *Audaces homines Medicos inculpant ſi natura reluctante perdiderint Deos prætereuntes, ſi verò evaſerint, Diis attribuunt, ego autem ſenex ſum, & plus vituperationis, quam laudis ſum aſſecutus:* Humo exinde preſſa pede, ſe mihi obvium dedit, atque eventum ingenuè enarravit, dixitque; Amice, hodiernis temporibus collapſa totius Medicinæ ſtudia increpat vulgus, at ignavum in denegatos doctis honores, & ſubacta præmia, quæ ſunt ſtudiorum, & virtutis calcaria, cauſam non refert: Jam ultro vir prudens fatis cedere, & tempori ſe accomodare nequit; Surrexit agyrtarum genus, à quibus artes ſine conſilio judicantur; Neminem per imperitiam necavi, & præſumor in dolo: Hucuſque relictis medicamentis minùs tutis; tutioribus uſus ſum, Infirmorum naturæ, morbo, ætati, ac tempori accomodatis: Nunquam medicamina applicavi, de quibus dubitarem an profutura, an nocitura; Motum naturæ obſervavi, nec eam ab opere incepto die critica evocavi: Notabiles errores non comiſi, nec negligens in viſitationibus extiti; Omnia ſecundum rationem feci, & tamen vocor in judicium ab jis, qui judicare non didicerunt, & iniqua punior detractione ab imperitia Judicis malè judicantis; Aſt non enarratis duntaxat ſtat ſumma mei infortunii: Ægro dolente nunquam fui pignore firmus, ut decebat, ex deciſ: Magoni; Aliqui ſiquidem altari inſervientibus munus offerre aſſueti, parem laboribus meis gratiam obtulerunt: Nonnulli verò mortui ſunt, quorum carnibus ſoli Hæredes ſaturantur: Non pauci dum dolent regias promittunt donationes, dum dolor cadit, promiſſa vel ipſa cadunt, vel calamitates, & miſerias depromunt; Alii, inſtar feracium avium, ne penſum perſolvant, diverſis nidificant in Ædibus; Quid miſer ultro ſum dicturus. Trifariam hucuſque me præſeferre faciem didici ex ſupradicto Magono, & Urceolo, ſcilicet Angeli, tempore neceſſitatis, hominis, dum non ita urget neceſſitas, & Diaboli, finita cauſa, ſuccrevit hodie quorundam perfidia, & quartam faciem me præſeferre videor, ſcilicet Carnificis, ſi moritur æger: His dictis, relicta, quæ illum circumdederat Turba, abiit ut ventus. Intellecta injuſta accuſatione, mecum diſcuſſa morbilliorum, & variolarum natura, in Collegæ tutelam ſequens enodavi argumentum.

XXX.

XXX.

Sanguinis miſſio in Variolis, & Morbillis perſæpè neceſſaria, ubi aliqua de ſanguine in pueris mittendo annectuntur.

Variolarum, & Morbillorum Cauſa.

MOrbilli ſunt fermenti extranei ab utero contracti levior quædam efflorefcentia, qua particulæ nonnullæ in motum concitæ ſanguinem leniter effervefcere, & parum coagulare faciunt, unde ſtigmata inde prolata ſine cuticulæ diſruptione ſola evaporatione difflantur. Variolæ autem ſunt ejuſdem fermenti plenior, validior, & ſecundum omnes particulas agitatio, quæ majorem ebullitionem, & coagulationem ſanguini inferens, exantemata longè plura, & grandiora, & non niſi ſuppuratione diſſolubilia producit. Inter prima fætus rudimenta concipitur labes in utero, quæ nihil aliud eſt præter fermentum illud, quod in utero generatur, ſanguiniſque maſſæ comixtum, ipſi vigorem conciliat, quo ſtatis periodis turgentiam, & ſanguinis menſtrui ſecretionem procurat, tempore autem conceptus cum omnia deſiſtunt menſtrua plurimum hujus fermenti fœtui impenditur, ejuſque particulæ exteris quibuſcumque etherogeneæ, velut extraneum quoddam, humorum, ac ſanguinis maſſæ confunduntur, cui involutæ, & ad invicem ſæparatæ diù deliteſcunt, poſtea tamen aliquando à cauſa evidenti commotæ cum ſanguine fermenteſcunt, ipſique ebullitionem, ac deinde coagulationem inducunt, à quibus plurima hujus morbi ſymptomata oriuntur, hæc eſt ſententia Villis; Alii ſupponunt in cauſam metipſum ſanguinem menſtruum; Alii ſemen à repetito, à conceptione, concubitu; Alii activum venenum intimè ſpiritibus implicatum, vel ſenſim intus genitum, vel ab extra ex contagione admiſſum, quod vel ſponte matu-

maturefcit, vel cum aere, inſpirando, hauritur, & temporis momento ſpiritus deleterio miaſmate inficit, ſuper quæ conſulendi ſunt Mortonus, Fernelius, & alii. Quidquid ſit, nemo negare poteſt cauſam proximam Morbillorum, & Variolarum eſſe quoddam extraordinarium inquinamentum in ſanguine exiſtens, cujus particulæ ſibi invicem cohærentes, & maturationem adeptæ ſanguinis craſim efferveſcere faciunt, à quibus natura tanquam ab onere oppreſſa, motu critico, metaſtaſim tentans, à centro ad circumferentiam conceptam labem detrudere tentat. Omnis igitur difficultas in ſanguine mittendo conſiſtit in eo, ne per ſanguinis miſſionem, vel introrevocetur venenum, vel naturæ motus rectè operantis præpediatur, pro qua ambiguitate ſolvenda, ſic procedendum judico; Sanguis ut aliàs innui, movetur mechanicè non propria virtute, ſed cordis impulſu à ſpiritu habito, & hic motus vocatur motus ſanguinis circularis, movetur etiam per ebullitionem, ſive per intrinſecam commotionem partium componentium, & vocatur motus fermentativus. Detruditur ergo à motu cordis in arterias ſanguis, progrediturque de arteriis in venas, à quibus exinde reaſſumitur pedetentim ad cor redeundo. Quoties ſanguis evacuatur per venam apertam, aut per hæmorrhagiam ejus craſis rarefacta promovetur in motum, irruitque lapſu præcipiti de arteriis in venas, ſe ſe expandens, ut ſuppleat evacuati defectum, quo motu, ab intra ad extra progredi ſanguinem nemo non videt, & conſequenter per ſanguinis miſſionem à centro ad circumferentiam revocari, eſt concludendum: Hoc pariter inſinuat ratio deſumpta à ligatura quam efficiunt Chirurgi in brachio cum velint venam ſeccare, peracta enim ligatura ſupra locum, in quo perficienda eſt ſciſſura, intumeſcit pars inferior manum reſpiciens, & detumeſcit ſuperior, venaque ſecta, ſanguis ille evacuatur, qui ab extremitate manus progreditur, cui porrigitur ab arteria, & quo plùs ſanguis à vena evacuabitur, eo magis ab arteria in illam venam prorumpetur, & à centro ad circumferentiam revocabitur, & ſi quiſquis totum ſanguinem emungere vellet, quantum in ſe eſt, & ratione motus circularis, niſi prius deficeret cordis motus, totus per venam ſectam evacuaretur ſanguis; At quiſque ad unguem obiicere poterit; Ex dictis, ſanguis movetur, non propria virtute, ſed cordis impulſu à ſpiritù habito, ergo diſſipatis ſpiritibus per ſanguinis miſſionem, remorari & ſanguinis motus debebit, ergo præpedito illo motu circulari, ſubſiſtet & id, quod natura à centro ad circumferentiam expellere nititur.

nititur. Reſpondeo hoc evenire poſſe in agoniſticis veterum ſanguinis miſſionibus, ſed in hodierno eventillationis uſu, rarefacto per ipſam ſanguinis motu fermentativo, diminutaque ſarcina qua opprimuntur activæ ſanguinem componentes particulæ, poterunt & iſtæ exinde melius elaſticari, factaque quadam deſpumatione, quidquid intus venenoſum erit, ad cutim promptiùs transferre, atq; demandare: Hucuſque rationibus me ſatis innixum fuiſſe videor; Nunc ad auctoritates tranſeo, ubi conſentientes Mauritanos, Hyſpanos, Gallos, pleroſque ex Italis video; *Hanc veram methodum ſanguinem in variolis emittendi docuere Avicennas, & Itali Medici, qui in mittendo ſanguine, alias timidiuſculi, nunc in Variolis, & Morbillis uſu ipſo edocti venæ ſectionis utilitatem fæliciſſimo eventu experiuntur* Zacchut. Luſ. *Vbi ab exanthemate coniicimus ſanguinem abundare, incidenda eſt vena*, Gall: & alibi de Simone, *cui eruperant latæ puſtulæ; Miteſcit morbus, æſtus imminuitur, validiuſque ad cutim expelli reliquum ſæpe animadverto*. Settala. *Immo verò peracta variolarum eruptione, ſi febris valde urgeat, ſanguis eſt denuo mittendus*, & paulò poſt, *ſi erumpentibus variolis febris intenſior, anxietas, difficultas ſpirandi, lotium craſſum, & alia ſymptomata majora appareant, phlebotomia eſt neceſſaria*. Riverius. *Nuper autem experientia duce in quibuſdam caſibus utile, & neceſſarium eſt, ſanguinem mittere in variolis*. Villiſius. *In ſecundo morbillorum ſtadio, vel variolarum apparatu venæ ſectio utilis*. Mortonus. Quid ultro tantis innixus auctoritatibus, validiſque fulcitus rationibus, hic imorabor? Hæc tamen notanda vellem. Si ſanguinis abundantia, vel morbi ſymptomata venæ ſectionem poſtulant, mox in principio ante quartum diem, dum vires adhuc conſtant, vena aperiatur, *ut natura oneris parte levata*, juxta ſenſum Sennerti, *faciliùs vincere poſſit*. Quod Riverius ulterius confirmavit dicens, *ſanguinem detrahes ante eruptionem variolarum, vel dum adhuc paucæ apparent, quod tempus vulgo ad quartam diem à febris invaſione extendi conſuevit*. *Non in omni morbi ſtadio, neque in qualibet variolarum conſtitutione indiſcriminatim vena eſt ſeccanda* Mortonus, *plùs enim ex Gal: valent prohibentia ad prohibendum, quam indicantia ad indicandum*. Ideo quoties natura rectè operatur, nil faciendum, ſi poſt eruptionem variolarum febris, & anxietates intenduntur, vena ſeccanda, atque ut breviùs me expediam, praxis mea me docuit, ratione ſymptomatum venam ſeccatam profuiſſe, ratione morbi, ægros eneccaſſe, vel eos in diſcrimina vitæ adduxiſſe, quod Tironum menti, & cordi habendum vellem.

In pueris verò Gal: aſſerit ante annum 14. non eſſe venam ſeccandam,

eandam, quia vires ſunt debiliores, & corpus eſt diſſipabile, & alibi pueros venæ ſectione non curari ob difflabilitatem; contra quem pugnat experientia plurimorum celebrium Auctorum, inter quos Valleſius, ubi ſic *nullus Medicus adeo inexpertus eſt, ut ignoret Infantibus, etiam utiliſſime venam ſeccari*. Riverius ſic procedit, *uſus invaluit, ut in tertio, & quarto ætatis anno miſſio ſanguinis uſurpetur*. Pariſienſes Medici in teneriori ætate, & lac ſugentibus, idem Septala concludit *hoc & ego experimentis infinitis ſpatio 40. annorum firmare poſſum*; Dicendum igitur Galeni temporibus, vel pueros effætos fuiſſe, vel ut Philoſophum locutum eſſe, & ſanguinem mittere in pueris nunquam auſiſſe; Nam ex Cornelio Celſo, *non quæ ætas ſit, ſed quæ vires ſint, & fortis puer. robuſtus ſenex, gravida Mulier valens tutò ſanguinis miſſione curantur*. Quod idem Gal. aliàs reflexiſſe videtur ad Glauconem dicens, *non numero ſolùm annorum animum advertas, ut quidam faciunt, ſed Corporis habitui*, Hipp: fundamento ſanguinem auferre oportet *inſpecta ſecundum habitum, ætatemque pluris, minoriſque conditione*. Immo quotidiana experientia proficuum ſemper (quoties id neceſſitas exigerit) ſanguinem mittere in puerulis, & ego habeo, & ubi venæ tenuitas, vel punctum phlebotomi ſubterfugit, vel oculum Chirurgi deludit, hyrudines ſubſtituendas judico; Cave tamen quoties ſanguinem comittis ne in lamentationem Ricardi Mortoni incidas: *Eheu quam ſæpe Medici temeritatis pœnas miſellus æger luit! Ægri vita, vel mors ſæpenumero à cuſpide lanceolæ pendet. Officioſè enim, temerè, atque ſine evidenti neceſſitate venam tundere, ac prodigam purpurei liquoris jacturam facere, quid aliud eſt, niſi in Corio humano ludere, atque laniomis partes agere!* Pro qua deciſione ſit ſatis &c.

XXXI.

Mors ſubita à fruſtuli Carnis eſu.

TRibus rebus animantium vita tenetur cibo, potu, & ſpiritu; & cibo, potuque, & ſpiritu communiter diſſolvitur; Dies erat, vel potius noctis principium fuit pro quodam *Feltſcher*, quum abſoluto impenſu in Oſpitali ſui Regiminis validus, ac bene ſe gerens, jejunuſque diſcedens, cum duobus ſociis ſe contulerat in Cauponam

ponam, ubi tres minimas menſuras vini, ponderis onc. 14. ſingulatim abſque ulla comeſtione, biberant; concorditer exinde ſe ſe contulerunt in Quarterium pro convivendo, ac ſimul edendo, quod cuidam mulieri commiſerant. Chirurgus primus & in primis reciſit fruſtulum carnis bovis coctæ magnitudinis paruli ovi Gallinæ, illamque ore intromiſſam, nulla aut parva prævia maſticatione deglutire tentavit; Sed heù miſerabilis, in eſophagi itinere præpedita caro, ſpiritum abſtulit, motu violento ſurgens à menſa, concuſſo ſemel manibus pectore, ſuffocatus immediatè decidit, & mors adeo ſubita evaſit, ut Conſocii mirentur adhuc, ſed diſtinguere neſciant actionem carnis eſus, & ſuffocationis eventum.

Quæritur propterea quænam fuerit cauſa mortis ſupradicti Chirurgi.

Haud ingratum, & ad rem, ut animi, mortali ex caſu perturbati ſolentur, eventum in jucundo Eminentiſs., & Reverendiſs. Cardinalis Cacciæ olim Mediolanenſem in Urbem adventu fore exiſtimo futurum; Inter nempe Civium tot ovantia ſigna, Regiæ etiam Mediolani Arcis Bellica Libratorum inſtrumenta, invicem hilari Jovem fragore rumpentia, unum ex illis crepuit: Rethoricæ Magiſter in Helvetico Gymnaſio, diſcipulis impoſuit, ut viciſſim mirabili ex caſu ad præclarum Cardinalis adventum hilari animo alluderent; Ex Rethoricis unus ingenti pro hilaritate Mediolanenſium corda crepant, pro pari, ajebat, lætitia unum ex illis crepuit; Parique modo alteri alias hilares dixerunt nugas. Unus verò ex ineptias dicentibus in veritatem quidem erupit; Impoſuit, dicens, nimium pulveris, & crepuit. Sic æquo paſſu procedo. Diſſecto Cadavere totum hominem ſanum, omniaque viſcera valida, nulla labe contaminata, inveni. In ventriculo vini rubri oncias octo, aut decem, innatare detexi, aperto eſophago uſque ad pharingem, fruſtulum carnis bovis magnitudinis paruli ovi Gallinæ, parum aut nihil in ore digeſtæ, fibriſque nervoſis intertextæ offerebatur, quæ implantata in cavitate eſophagi ſub pharinge ſurſum detrudi non poterat. Venit igitur dicendum ab illa carne compreſſam fuiſſe laringem, ſive ipſam aſperam arteriam, aeris, & Pulmonum tubam, impeditaque inſpiratione, & ſuffocata reſpiratione ſtrangulatorum more, ultro pabulum neceſſariiſſimi elementi Chirurgus gaudere non potuit, ideo ſuffocatus decidit, cum impoſſibile ſit viventem non reſpirare, & reſpirantem non vivere; Verùm ſuſpicari mihi arridet hoc in eventu quamdam mutuæ cauſalitatis ſpeciem; A ſumpto enim vino,

jejuno ſtomacho; probabile eſt flatus eructaſſe Chirurgum; cumque illi per ſuperiora exitum ſibi ipſis parere non poſſent ob occluſum Pharingis à carne canaliculum, & caro repercuſſa à flatu, infra ſe dimittere non valeret, præpedito propterea flatuum aſcenſu, & carnis diſcenſu, facta proinde convulſiva divulſione in æſophago, comprimi ulterius debuerat aſpera arteria, reſpiratio coerceri, & Chirurgus ſuffocari, ex quibus vides propter impoſitum nimium pulverem (ſcilicet carnem) crepitaſſe Chirurgum.

XXXII.

Ridicula pruritus hyſtoria.

ME, & quemdam Dominum, frigoris cauſa palliis bene circumdatos, degentes ſimul in curru, alma à Civitate reduces ducebat Auriga, quum demiſſa ſodalis ſub palliis dextera, digitis ac unguibus ſcalpere, & fricare unum ex cruribus meis tanto impetu inceperat, ut tibialia mea quaſi ſcindere vellet; Quid novi illud eſſet, exclamavi, aſt ille reſpondit, intenſo pruritu ſuo in crure vellicari, continuabatque acriter ſcalpere. Fatuum iſtum exiſtimavi cum ad opinionem doleret, pedes propterea hinc inde ego dimovens cum meum ſcaberet crurem, quaſi iraſci inceperam, oborta ob hanc cauſam ridicula contentione, opus fuit pallia, & tegumenta removere, ut locum videret, quem ſcabuit; Cognito tandem errore, factaque mihi excuſatione aliquid ad removendum quemdam pruritum, quo acriter vexari dixerat, enixè poſtulavit; Gratum me illi facere volens (ne alia in parte me ſcalperet) tædium, & itineris ut removerem, ſequenti ritu locutionem ſuſcepi, Pruritus eſt triſtis, & moleſta ſenſatio, ſive potius paſſio in parte cutanea oborta à quibuſdam alimentoſis maſſæ ſanguineæ partibus ſalino fermento ſaturatis; Quum enim ſuccus pancreaticus non convenienter corrigitur à fermento felleo, acidum, & ſalſum oritur lixivium, quod ulterius cum ſulphureis bilis particulis effervescens in ſalſum commutatur: Hæc labes chylo comixta, & ſanguini porrecta, glandulas, ac adenoſa corpora ſcapularum, dorſi, tibiarum, totiuſque corporis permeans, intenſo cruciatu cuticulam, & veram cutim torquet, vt quiſque acriter ſe ſcabere cogatur: Succedit etiam pruri-

tus

tus à præternaturali fermento per contagium hauſto, maſſam ſanguineam vitiosè alterante, ubi alimentum nutriens à vitioſo acido ſubcutaneo depravatur, & in pruriginoſas puſtulas abiit: Affectus iſte mehercule eſt cutaneus, ſed diverſimode tractandi ſunt cutanei affectus: Eorum enim aliqui, non niſi remediis, quæ ſanguini robur, & vim conciliant, cutis ſpiracula reſerando, tolluntur, alii via omnino diverſa ſunt manu-ducendi, ſcilicet per anodina, abſorbentia, & demulcentia, habito ad ætatem, temperamentum, & tempus, reſpectu. In quocunque pruritu duplex cauſa præ oculis habenda, antecedens, & poſterior, prior ſufflaminanda, & poſterior, diſcutienda, quod ordinario obtinetur per trifaria medicinæ inſtrumenta, Chirurgiam, pharmaciam, & diætam; Chirurgia, medicamenta coſmetica cutaneis morbis dicata offert, quæ acidum ſalſum abſorbendo, aut præcipitando corrigere valent, ut ſperma ranarum, ung. triafarmacum, nutrinum, & de litargirio, nec non balnea tepida, ſive vapores ex aqua calida. Pharmacia leves purgationes ſuggerit, nec non alterantia ex ſuc: Cicor: silveſ:, Endi:, Borag: cum ſero lact. diſtillat. Inſuper teſtacea, & cætera abſorbentia, nec non moderata acida ad urinæ viis demandandas ſalium exoticorum particulas; Jura viperata Cycoreaciis alterata paginam adimplere valebunt; Ubi verò ſanguinem elaſticare oporteat, lignum ex china, ſalſa, ſaſſafras, cum viſquercino, & ſcobis avorii, ac cornu-Cer: non ſunt omittenda, quæ juxta temperiei craſim diverſimode ſunt eligenda. Quo ad diætam victus debet eſſe eupeptus, interdictis ſalſis, acidis, caſeoſis, & omnibus his, quæ ſanguinem acriorem efficere valent: Pro potu congruum erit bochetum ex rad: Canæ Mont: cum limat: cor:-Cer:. Completa hac diſſertatione jam Melegnanum pervenimus, cùm noviter facta mihi petitione in locutione permanere coactus fueram.

XXXIII.

XXXIII.

An, & quare, ſcabies, & humor ſalſus ſint Contagioſi.

ANtequam tuo reſpondeam quæſitui, aliquid enucleandum judico de natura ſcabiei, & de humoris ſalſi origine: In Chyloſeos læſione ut plurimum conſiſtit fundamentum eorundem morborum, & ex cruditate acida certis ſitis, & certo modo corrupta, vitiatis per particularem acorem alimentis, enaſcitur ſcabies, & ſalſus catarrhus; Succedit etiam nonnunquam, quod iſti morbi affigantur per contactum cuti, ſive cuticulæ, & ab ipſa quoque & ſanguini communicentur: Quomodocumque id fiat, ſcabies, & humor ſalſus cruſtoſus contagio comparantur à Gal: de diſ: pulſu:, & facilè in lepram mutantur, & ratio eſt, quia ex ſuperficie emanat quædam humiditas viſcida, & tenax, quæ facilè adhæret corporibus vicinis, & facilè communicatur de corpore in corpus. Ad rem pertinet celeberrima Medicorum quæſtio, cur morbus poſſit contrahi, ſalus verò non, cui relictis aliis rationibus ſic reſponderi poteſt; Morbus eſt in motu, ſalus verò in quiete, quod eſt in motu per ſpiracula corporis exterius plus, vel minus ebulliendo traſpirat, miaſmata ſui generis extra demittendo, quæ per inſpirationem, vel per pororum aperturam introſuſcipi poſſunt, ſalus verò in quiete neminem alterare valet, humor igitur ſalſus ſanguinis diatheſim acrem, & ſalſam arguit, qui fermentando, & motu depurativo ebulliendo maculas, exanthemata, tubercula, exteriùs ſuffundit, quæ facili negotio domeſtici in jacturam conſpirare poterunt; Obtutus etiam ſimpateticus (ſi quis magneticam qualitatem in morbis, non negat) juxta Paracelſum, multum conferre poteſt ad labem recipiendam, ut experientia docet per lyppitudines ſanos oculos infici, qui benè valent ab alio quoppiam tantùm conſpecti, ac repentè, & multum læduntur, & Gallinas, & Agnos, & Equos, multi ferunt, faſcinatos cecidiſſe. Qui autem didicit totam vim faſcinationis duplici ineſſe oculorum reſpectui inferrendo, & concipiendo, ultro tartarum ſalſum, atque ſcabiem, contagioſos eſſe non negabit; Sed

ad

ad quid plura, ſi verba Levitici argumentum meum ſatis comprobare videntur; *Homo in cujus cute, vel carne, ortus fuerit diverſus color, ſive puſtula, aut quaſi lucens quippiam, ideſt plaga lepræ adducatur ad Aaron Sacerdotem, vel ad quemlibet filiorum ejus, qui cum viderit lepram in cute, & pillos in album mutatos colorem, ipſamque ſpeciem lepræ humiliorem, ſeparabitur ad arbitrium ejus, Si obſcurior fuit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt, levabitque homo veſtimenta ſua, & mundus erit:* Ex Levitici igitur verbis arguere poteris, ſi ab infecto ſcabie, vel cattaro ſalſo, tutò tractari poſſis.

XXXIV.

Caſus portentoſus.

JAm tempus illud erat, ſive pars illa diei, qua lux quædam dubia Sole adveniente in Oriente cernitur, quando dulci compoſitis ſpirante crinibus aura, aurem in utramvis & ego placidè dormiens, viſus eram ad palliorum adeptionem in menſa Sanſonis, una cum gravatis ſenio Phariſeis enigma ſoluturus ſedere: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*, quum repentè voce clamoſa, non phantaſmatis, ſed famuli cujuſdam me obſecrantis, experrectus, ut confeſtim ſuum evolarem ad Dominum, temporis momento ad illum perveneram: En ſomnium Oraculum factum, ludit Deus in Orbe terrarum, de forti ervens dulcedinem. Satis diu vixerat ſub impio Luteri dogmate Nob. D. NN., reliquum ejus vitæ tempus exigebat vera Catholica Religio. Statutæ venationis gratia, ſummo manè lecto adhuc adhærens, proximum ſclopetum per buccam arreptum contraxit Nob: D. Proh dolor! bombo imparatè emiſſo exploſa plumbea pila ſcrotum irrumpens, levem teſtem dilaceravit, confracto pubis oſſe, orificium inferius veſicæ excoriavit, diſruptiſque nonnullis ligamentis, & metipſo dextero vretere, læthalique vulnere in pudendis inflicto, tandem in nate oppoſita conſtetit pila. Lypotymia correptus patiens, ſanguinis unda emanante, cecidit, Sacramentalem Confeſſionem exclamando, & ſe Catholicum Romanum edicendo, ſpirituque intus cum ſanguine deficiente, animam exalare videbatur; Acceſſerant & Chirurgi, ut quantum res ferebat, huic terribili fato occurrerent, ſanguinem

emanantem figere, labenteſque ſpiritus inſtaurare ſimul ſtuduimus: Reſipiſcente aliquantulum miſerabili vulnerato primum Luteri inſtituta abjuravit, & unam veram ſolam Catholicam fidem confeſſus eſt, Sacratiſs. Virginis Deiparæ nomen, & auxilium deinceps implorans, votum, ſi evaſurus, ejus in Sanctuario Caravagii apponendum ſpopondit; Hoc interim Chirurgi curationem aggreſſi omni diligentia lethale vulnus expiabant, oſſa confracta, & in carne confixa evellebant, ſciſſam carnem forcipibus arripiebant, urinæ in magna vulneris cavitate paſſim defluenti ſubvenire tentabant, congruiſque balſamicis ſphacello conſulebant; nundum tamen explorata plumbea pila, iam curatio quartum menſem libaverat, quando ratione quarumdem partium excreſcentis carnis, appoſito in veſpris, cum ſpongiis in cavitate vulneris, fruſtulo radicis conſolidæ ma: magnitudinis, & figuræ nucem avelanam excedentis, novus, & mirabilior ſurrexit eventus. Nocte correptus Nob: Patiens ſumma mejendi cupiditate, matulam petiit, ac ſæviſſimo ardore, & atrociſſimo cruciatu petitus, ejulans, anxius, & triſtis, urinam reddere minimè poterat; Jam in diſperationem adductus, Patrocinio iterum Deiparæ Virginis Caravagii ex corde invocato remiſit dolor, minxit, & mingendo, abſque ſenſibili dolore (mirabile dictum) una cum urina aliquid ſatis groſſum, & durum ſe foras demittere, eiaculatumque in vitro, quid conſimile nucis avelanæ, perſenſit, accito lumine, perpendens, & hinc inde revolvens rem exploſam, tandem agnovit radicem illam eſſe, quam in veſpris appoſuerat Chirurgus in ſinu vulneris, in admirationem adductus obvolutam papyro radicem ſub pulvinari locavit. Mane ſequenti, illius ad viſitationem mecum acceſſit Chirurgus, qui detegens vulnus, faſciis, atque plumeolis bene obductum, eximens ſpongas, unguenta digeſtiva, balſamica, quærebat radicem, quam appoſuerat præcedenti in medicatione, factaque non levi diligentia, eam invenire minimè poterat, ſeſe propterea dimovens importunus, hinc inde omnia agitans, iterum radicem Chirurgus quærebat. Infelix Patiens deridens Chirurgi pænam, ultro reticere non potuit ſecretum; arreptamque à pulvinari nuper dictam radicem papyro involutam Chirurgo porrexit; En tibi quod quæris, dicens, eventumque mirabilem coram omnibus ingenuè enarravit; Quiſquis aderat mirari, ſed diſcere nemo poterat vias, per quas illa radix veſicam fuerit ingreſſa, & ſi disjunctioni ureteris mens aquieſcere videtur, jejuna tamen adhuc eſurit modum, quo & illa radix opere naturali pænis

fora-

foramen permeaverit, phiſicè obſtantibus in hanc rem ejuſdem radicis craſſitudine, decubitu infirmi, & paucitate urinæ, quæ in ſatis magnam copiam excernebatur in vulneris cavitate. Tranſactis iam quinque menſibus nedum explorata plumbea pila, vulnere ad ſanationem properante, fiſtula remanebat, quæ fuit in cauſa novam conſultationem ineundi: Vocatis in hanc rem primis Mediolani Chirurghis, dictum fuit inciſionem in nate faciendam, ad pilam plumbeam extrahendam, qua peracta non levi patientis dolore, applicatiſque balſamicis utriuſque generis, tandem annuente numine ſub auſpiciis Sanctiſs. Virginis Caravagii (cui ſemper ſit laus) in nono menſe convaluit.

X X X V.

Epilepſia per conſenſum à ventriculo; & ejuſdem ventriculi oris læſio per conſenſum à cerebro.

An epilepticus diſpenſari poſſit ad Sacerdotium.

Dum cogitarem quam meritò irrideantur nonnulli juniores ab jis, qui arcana anatomica poſſident, dum læſo cerebro per conſenſum ſtomaci, applicant ſtillicidia capiti, fonticulos brachiis, ac uſtiones occipiti, neſcientes quod inter cerebrum, & os ventriculi admirabilis obſervatur conſenſus, ulcerato enim cerebro ſequitur vomitus, & læſo ſtomaco à bile, vel ab alia mordaci cauſa ſequitur capitis dolor, & nonnunquam Epilepſia, ut Galenus retulit de Juvene illo Grammatico (ubi cauſa ſympatiæ eſt ſexta nervorum coniugatio, à qua prodit ſurculus nerveus) Dum inquam hoc attentè cogitarem, Palatium quoddam Epiſcopale vocatus adii, ut vires ſuſciperem Judicis. Epilepticus quidam offerebatur Sacerdotio promovendus: Collata mihi accurata accidentium ſcientia, cum circumſtantiarum varietate, cauſam mihi commiſſam ſequenti Theoremate enodandam duxi. Illuſtriſs., & Reverendiſs. Præſul onus

humeris meis ægrè ſuſtinendum commitis; ſolutionem quæſiti aliis ab Auctoribus mutuabo. Titium video ætatis annorum 19., convulſivis accidentibus petitum, quibus aliquando concutitur cum mentis, & ſenſuum læſione, oris tortura, levi circa labia deſpumatione, nixus edens fortiſſimos, & pectus manibus feriens; interrogatus non reſpondit, vel non ad rem, advenientem paroxiſmum animadvertit ex ſtomaci nauſea, & gravedine, & poſt paroxiſmum obliviſcitur de omnibus in paroxiſmo peractis. Non in novilunio, vel plenilunio, ſed indiſcriminatim morbum iſtum obſervatum ſentio, qui ut plurimum, ſtomaci vomitione præcedenti, vel ſubſequenti, aut arcetur, aut citius reſolvitur: Quæritur propterea quinam ſit morbus, à quanam cauſa producatur, & an perfectè curari poſſit, ſine metu recidivæ.

Ad primum reſpondeo veram eſſe Epilepſiam, nam Epilepſia definitur *motus convulſivus totius corporis non perpetuus, ſed interpolatus, cum mentis, motus, & ſenſuum internorum, & externorum læſione.*

Ad ſecundum dico fieri Epilepſiam, vel Idiopaticè ſcilicet per cerebri vitium, vel ſympaticè, propter labem ſive conſenſum partium inferiorum, quibus meum non eſt hìc immorari. Prima fronte morbus ſympaticus videtur, ſcilicet à ſtomaco productus, maximè ſi æqua lance advertere volumus ingruentis paroxiſmi præludia, nauſeam videlicet, ac vomitum, quo in caſu curabilem eſſe ſupradictum Titium indubitanter judicarem, ſed ſi ultro in viſceribus morbi, acutiori calamo ſcrutamur, fortè dubitandum venit morbum, vel eſſe Idiopaticum, vel multum de Idiopatia aquiſiviſſe, ideo incurabilem Titium timerem. Ab imperfecta, & interpolata obſtructione ventriculorum cerebri Epilepſiam Idiopaticam fieri credidere veteres; Ab exploſione ſpirituum Animalium cerebri incolarum originem habere judicant Recentiores; An verò talis obſtructio, vel exploſio producta ſit proprio in capite, vel aliunde transmiſſa, quid indè, ſi ex replicatis actibus factum habitum timere poſſumus; Morbus qui non eſt, occaſione fit, & quo plus ſunt frequentes occaſiones, eo facilius fit: *Licet caput*, ex Gal., *per alterius partis conſenſum laboret, affectio tamen ipſi capiti tribuenda eſt*. Frequentes igitur paroxiſmorum recurſus, & ætas properans ad 25. annum, ſunt valida argumenta, impreſſionem in Patientis temperie factam fortè timendi, & conſequenter curationem deſperandam crederem.

Sed

Sed ne meæ opinioni nimis addictus videar; En tibi in terminis ferme terminantibus argumenti deciſionem deſumptam ab opere Quæſt. medic. legal. Pauli Zacchiæ lib. 7. & 8. Nunquã omnino curabilis eſt Epilepſia graviſſima, nec quamvis longo tempore homo à paroxiſmo liber permaneat, poteſt præſumi à morbo eo ſanatus, dummodo id non ſemel tantum, atque iterum, ſed pluries paſſus fuerit, & ratio evidentiſſima eſt, quia cauſa excitans morbum violentiſſima fuerit, oportet, unde tam magnus morbus fuerit excitatus, qui organum ipſum inſigniter labefactaverit, & maximam impreſſionem fecerit, quam removere, eſt penè impoſſibile in totum, immo neque ex parte; Quandoquidem ergo conſtet de tanta gravitate Epilepſiæ quantam hactenus dixi, jam in caſſum vertitur in dubium, an Epilepticus diſpenſari poſſit, quia ob non reverſionem paroxyſmorum ad longum tempus liceat præſumere, quod ſit ſanatus, hæc enim præſumptio vana omnino eſt, quia talis nunquam humana ope ſanari poteſt; Unde ſi diſpenſatur, facile eſt illum in morbum relabi præcipuè inter miniſtrandum, quando majori mentis applicatione opus eſt. Irregularis igitur hujuſmodi Epilepticus omnino permaneat, quia ob multifariam ejus reverſionem hanc Epilepſiam capitis vitio confirmatam ego quoque crederem, quæ ſi levior eſſet, & per accidens, à ſtomaco, ſeu à cæteris viſceribus inferioribus producta, curabilis evaderet, propterea præſenti in caſu, vel quieſcendum deciſioni Pauli Zacchiæ, vel illius contradicendum rationibus, dum ſatis me dixiſſe arbitror, & malo Judicis vires elidere, quam tua diutius abuti humanitate.

XXXVI.

Mortis ſubitæ, ſeu apoplexiæ cauſæ familiares, & tempus invaſionis peculiare.

Diebus non longè à ſolemni non Judeis tantum, ſed etiam Catholicis venerabili azimorum feſto, ob Angeli & Judeorum

ex Ægipto pertranſitum, quum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui abſtulit peccata Mundi, Eccleſiam ingreſſo obviam mihi venere varia Sacerdotum genera, Acolyti, Exorciſtæ, Oſtiarii, Lectores, Subdiaconi, Diaconi, atque Sacerdotes hymnum certatim canentes.

Quæſumus Auctor omnium
In hoc Paſchali gaudio
Ab omni Mortis impetu
Tuum defende Populum.

Auribus & ſenſu hymno ſtudioſe percepto, cogitationes variæ meam mentem irrepſerunt, graviſque ſuper hunc cantum me invaſit ſollicitudo, dubiuſque dubia meditabar, cur antiquitus Eccleſia, Paſchatis tempore in quibuſcumque hymnis quorumcumque rituum Romanorum, Ambroſianorum, Monaſticorum, Græcorum &c. Deum precari mandaſſet, ut nos ab omni mortis impetu tueretur (quaſi verò duro quodam fato, temporibus illis, repentinæ mortes generi humano everſionem facilius intendere poſſent) Hoc mihi accuratius perpendenti rationes variæ ſupervenere, morales, Aſtrologicæ, & Philoſophicæ, & tandem non ſine miſterio illa carmina in Hymno concinnata fuiſſe, aperuit coniectura. Prima fronte, nec extra rem, in Macrocoſmo ſub concavo Orbis Lunæ ſubitos humanæ vitæ occaſus divinitus conſpirare dubitaveram, cum vetus, juxta Pauli mandatum, à pluribus non expurgetur fermentum, ut ſint nova conſperſio, & azimi ſinceritatis, tum ob irreverentiam, qua ad Euchariſticum panem perſæpe acceditur, qua de re ira Dei aſcenderet ſuper illos, ſi ſeveritatem ſupplicii, per Eccleſ. preces metipſe Deus non temperaret. Aſtra quoque perſcrutari operæ pretium duxi, an fortaſſis Veris tempore, quo Paſcha celebrari ſolet Sydus aliquod maleficum in naturam humanam Imperium haberet, & neceſſitate quadam (ut Magnes Herculeus ille lapis ferrum ad ſe rapit) Herculeas mortes ſuſtinere cogeretur natura, in quam rem, Veris etymologiam quærens, Ver ſiquidem ſacrum, apud Sabinos, ac Italos, Sacrificii genus fuiſſe comperui, quo Diis immolabatur quidquid proximo Vere apud ipſos natum erat, qua de re timebam quod Mars non ultro pecoris proventum immolandum vellet, ſed homines,

nes ipſos Veris tempore mactandos exigeret: Occurrit etiam mihi credendum, quod ob tranſitum hyemis in Ver, ſcilicet ob diverſam planetarum dominationem, nonnullorum ſublunarium conquaſſarentur poteſtates, eodem prorſus fato ac ſuccedit in Monarchiis quum Principatus ab uno in alium transfertur Principem, ubi non paucorum dominantium conſternuntur capita, ac multorum imperioſæ confringuntur cervices; Sed ſciens Stellas ullum conatum corporibus noſtris inferre non poſſe, omnem cogitationem meam in oſtendendam hominibus, hujus generis humani everſionis phyſicam cauſam illis maximopere temporibus facilius evenientem, locare decrevi. Cum autem aliqua præmittenda ſint ad argumenti ſolutionem, concedendum primo Quadrageſimalem victum tam ad animæ, quam ad corporis ſalutem inſtitutum fore: Credendum ſecundo, ut aliàs innui, continuum carnis eſum non ſolùm corporibus prodeſſe, verum & ipſis obeſſe: Sciendum tertio, juxta Sanctorium, pondere plura excrementa à corporibus noſtris ob difflabilitatem ſecedere, quam ſint manifeſtæ evacuationes, Veriſque tempore, uberiorem hyeme, excitari in corporibus noſtris tranſpirationem: His poſitis; Hominum multi, Quadrageſimalem victum negligentes, ſive totius anni curriculo adipe & ſanguine ſuffocati, lympharum viſcidarum copiam ſuis in vaſis accumulant, vel ſummam putredinem, ſive ſulphur narcoticum ſibi ipſis in ſanguine aggerant, quo fit ut ſenſim iſtæ lymphæ diluvio quodam ſubſtantiam cerebri inundent, & meatus omnes infarciant, vel quod ſanguis acido illo ſulphure narcotico ſaturatus ſpiritus adoriatur, & in partibus cerebri ſtagnet, indeque fiat functionum omnium eclipſis: Sulphur autem iſtud narcoticum vitriolicum, vel lympharum iſtarum tenaciorum proventus uberius in ſanguine ſuccreſcunt, cum uberior tranſpiratio, quæ promoveri incæpit, coercetur; Cumque Veris tempore diverſimode ferveant aeris tempeſtates vix incæptam tranſpirationem impedientes, ſi homo de ciborum adipe, & ſuperfluitate in Quadrageſimalibus diebus ſibi non demerit, quod illa amurca introſuſcepta, ſanguinem craſſiorem & in narcoſim pronum efficiat neceſſe eſt, qui recrementa ſua exotica per patentes corporis ductus, & maxime per tranſpirationem ſecernere non valens, illa in magnam capitis glandulam advehit, ubi ſubitas ſtagnationes inferendo, repentinæ mortes enaſcuntur, vel in ſubiectas partes ſcilicet ad pectus, & Cor illa dimiſſa, ſubito hominem de medio tollunt; Ideo ob hanc cauſam, nec immerito, Veris tempore Hym-

num

num præcinendum mandat Eccleſia, ut Deus nos à morte ſubita eripiat &c.

XXXVII.

Portentoſa, nec ſatis prædicabilis Corporis convulſio Emproſtotonos dicta.

MULIER FORTIS.

INſidens Pegaſo, quem ex Neptuno Meduſa peperit, in varias hinc inde Regiones auverſus, Mulierem fortem, dum quærerem, inveni, cujus morborum ſtruem ſcribere ſuſcipiam, vel potius mirari non deſinam, quarum levior validiorem quemquam interimere valeret, qua repente penè petita non modo non concidit, immo evaſit incolumis. Hæc Nob: D. Innupta 44. annum agens, temperamenti totius fervidioris, ad ſiccum quoque vergentis, nec adeo firmi ventriculi, mediocris habitus, rectæ conſtitutionis, & ſtaturæ exquiſitis ſenſibus prædita: Præteritis annis cum vegetioribus floreret ſpiritibus, ferveſcente juvenilibus in venis ſanguine, nunc pleuritide, nunc angina, nunc febre pethechiali, nunc doloribus colicis ob comeſtam veneno ſuſpectam anguilam, ad extremum vitæ periculum multifariam deducta, ſemper gloriosè ſurrexit, & ſpretis mortis aculeis iterum rediviva triumphavit. Poſt tot diſcrimina mortis, crudeli æquè, ac pene inaudito morbo correpta, ut integris ſenſibus viribus integris, cum nec veſci, nec loqui poſſet, iam deſperato remedio ſentiret ſe mori.

Morbus, quo angebatur, ut ut terrorem cuicumque incutiebat, ita & auxilium, nec non pietatem ab omnibus exigebat, ut quiſque mirari debuerat (deſtructa organica ſtructura, cervice, & capite, violenter ad anteriora contractis, immo toto corpore in arcum contorto) dolentem, & fortem Mulierem, quæ caput quaſi genibus annexum ſufferre cogebatur, comite adeo terribili linguæ, mandibularumque, & muſculorum temporalium convulſione, ut conſtrictis inter ſe dentibus, nec loqui, nec gutta aquæ introduci poſſet, concuſſaque

cuſſaque pluries in die ab advenientibus novis convulſionibus, horribili tremore conquaſſabatur, donec abolita loquela, impedita omnino nutritione, deficiente cordis ſyſtole, & dyaſtole, quaſi ad agonem deducta, ultimum reddere ſpiritum videbatur.

Vocatus in fine 5. diei, ut illam inviſerem, adii, nulloque reperto pulſu in carpo patientis, illum inveni ſatis validum in temporibus capitis, ſenſibus tamen internis adhuc bene vigentibus. Immediatè intus labiis apponendũ mandavi goſſipium oleo ſuccini & ſpiritu fuliginis ſaturatum, & infirmam ſuaſi, ut de liquore, quantum poſſet, ſugeret, quo facto, & per horæ quadrantem continuato remedio, mandibulæ & dentes ſe ſe paululum movere, & dilatari cæperunt, qua re obſervata, immiſſi nummum argenteum intra dentes, donec adveniente Chirurgo, proprio inſtrumento ulteriorem promoveret oris aperturam, quod ſumma vi, & difficultate obtineri potuit, immiſſiſque exinde ligneis inſtrumentis intra dentes, ne iterum rilabaretur ſuperior mandibula ſupra inferiorem, vel contraheretur inferior ſubtus ſuperiorem, applicatoque emplaſtro emollienti ſupra muſculos temporales, & alios, qui inſerviunt ad oris arbitrium, ſyringa ex poſt in oris cavitatem introduxi Julapium gemmatum, & Perlat, cum elixir vitæ; reſipiſcente aliquatenus infirma, jus vituli introducendum mandabam, at ſine fructu, nam lingua adhuc convulſa exiſtente, mandibularumque contractione non æquè ſoluta, impoſſibilis erat deglutio, & quod intromittebatur pro ſorbitione omne ferè rejiciebatur ab ore, motibus clonicis continuò advenientibus, continuato quapropter alexipharmacorum uſu cum pul. Margarit. Orl., atque ſuccini in aqua Hyrund. cum caſtoreo Quer. cum conf. Hya., & Alchermes, ulterius aperiebatur os, & lingua madefacta ſucco ſalviæ incæpit ſe movere, & patiens obſcurè loqui; degens infirma in hoc miſerabili ſtatu per aliquot dies, tandem aliquid de cocolata & jure panato deglutire cæpit, hacque ſola reſtauratione quaſi per menſem vitam traduxit. Tria veſſicantia brachiis, & Occipiti annectenda volui, à quibus non pauca excernebatur materies; reluctante adhuc morbo, vigentibus ſcilicet convulſionibus, & contumaciter perſeverante medullæ ſpinalis, corporiſque incurvatione, ſal. vol. ſuccini, & ſal. volatil. viper. præbenda mandavi, ac paulò poſt, balneum olei olivarum tepidè ingrediendum, nec non oleum amigdalarum dul. ad libitum frequenter ſumendum, commiſſi, quorum beneficio, ſicut & aliorum antinervinorum, ſatis benè remiſſit convulſio, & quieverunt motus convulſivi,

con-

continuatoque balneo per menſem (quo egreſſa Mulier obvolvebatur linteo calido oleo de Catellis, & de Camomilla perfuſo) tandem melius nutriri, perfectè loqui cæpit, ſomno induiſit (quo in menſe vix per dimidiam horam oblectari potuit) lingua, & mandibulæ à compedibus ſolutæ, ſuis fungebantur muneribus.

Hoc medio tempore, quod pro coronide tanti morbi notandum eſt, omiſſis ab infirma, tam per moleſtiam, quam per incuriam, clyſteribus emollientibus, quos alvo dura exiſtente commiſeram, fæces in inteſtinis craſſioribus, & maximè in recto, adeo induratæ fuerant, ut neque ſuppoſitoriis, neque clyſteribus, neque fotubus emolliri, & evelli potuerint, donec ſphinter ani, ſpeculo dilataretur, & ſtercora forcipibus confracta, vi contracta fuerant: Cumque ob perniciem morbi, & ſanguinis acrem diatheſim multum emaciata eſſet infirma, atque tuſſis ſicca cum febricula illam moleſtaret, nec non imminentis hecticæ periculum eſſet, morbum in ſubſtantia translatum, judicavi tolli non poſſe, niſi ſubſtantifico remedio, quapropter brodium viperinum, cum ranis & teſtudine, cicoreaciis alteratum, ex poſt lac aſininum ad longum tempus ſumendum decrevi, quibus ſedulò ſervatis, annuente D. O. M. abſoluta fuit curatio, parumper tantùm facta, ſeù gibboſa remanente Muliere, cujus tamen parvus & conſpicuus gibbus (qui nullis unquam remittere potuit remediis) nil de illius venuſtate, ac valetudine demit, quem adhuc de præſenti Nob. D. oſtentat tanquam vexillum ab orci faucibus ſurreptum.

XXXVIII.

Viſus geminatus, ubi una res duplex apparet.

LAſſum quodam in itinere me excepit caupona, nonnullis, ex decenti ferculorum apparatu ad corporis vires inſtaurandas mihi oblato, delibatis, ſupervenit herus annorum 50. temperamenti calidi, & humidi, duobus nuncians ſalutem, & binam poſtmodum ſolu-

ſolutionem exigens; Cauponis errorem, vel illuſionem admiratus reprehendere volui; at ille conſtanter contendebat duos videre homines, ideoque duplicem quærens mercedem; multum dubitaveram, num ille fatuus, aut lumine læſus eſſet: Interrogatione facta; Quadam mehercule uno ab hinc menſe, dixit, incerta hora diei, geminatum obiectum, ſine ullo oculorum dolore, nec apparente læſione, proſpicere ſoleo; Cumque me Medicum eſſe audiret, cauſam ſuæ infirmitatis atque præſidia ad illam removendam enixim poſtulavit, propterea me ad illius curationem, & marſupii mei defenſionem accomodare volens, ſequenti diſſertatione elucubrationem ſuſcepi. Raræ hujus affectionis cauſam, quam difficillimè tibi explanare valeo, ſatis declarare videtur Mercurialis obſtructiones inculpans in opticorum incruciatione non planè factas, propter humidorum vaporum fiſſionem à ventriculo præcipuè aſcendentium, à quibus ſpiritus diſcinduntur, qui diſciſſi in duas partes, faciunt ut ſpecies unius rei in duobus locis differatur, & inde una res gemina videatur, exemplo aquæ à Sole irradiatæ, & baculo diſciſſæ, duas Solis imagines manifeſtantis. Veſſalius verò aliter expertus eſt in uno diſſecto, cujus nervi viſorii erant ſejuncti, & nullibi coeuntes, & tamen res omnes obiectas unicas intuebatur, quemadmodum in omnium Animantium auribus non recipiuntur ſonitus duplicati, licet nervi ſint ſeparati. Ideo magis veritatem attingere videtur Marcellus Donatus in caſu cujuſdam Valerii, dicens, duplicatam fieri viſionem, ex muſculorum relaxatione oculos ſuſtentantium ab iiſdem humidis vaporibus repletorum, dum criſtalois, & pupilla à ſua naturali ſede dimoti ad ſuperiora, vel in obliquum, vel ad inferiora decidunt, efficiunt, ut quemadmodum radii utriuſque oculi ſic diſtracti, in uno, & eodem plano ad idem punctum per rectam lineam devenire non poſſint, ita non ſimplicia, ſed duplicata cernantur obiecta, quam ſententiam ſecutus eſt Benedictus Silvaticus in conſultationibus pro quodam Reverendiſs. Romæ, quod confirmari videtur tum exemplo ebriorum, dum ex nimia potus humiditate oculorum muſculi ſuperbi, vel humiles, & non laterales plus, minuſve repleti alterum ſurſum, alterum deorſum torquent, ubi fit quod radii ad diverſa loca differantur, & geminent obiecta, tum etiam experientia retinentium alterum oculum digito, & ſenſim ſurſum traducentium qui obiecta geminata intuentur: Hoc idem aſſeverare videtur Langius in Epiſtolis, eventu illius habentis oculum dextrum vulneratum in parte inferiori, quæ poſt-

 quam

quam fuerit glutinata, ſemper omnia duplicata cernebat, ſed ex motu continuato ab inferiori palpebra, oculo relaxato, fuit, & Patienti, priſtina ſalus reſtituta. Hanc humidorum vaporum congeriem, etſi alio modo deſcriptam comperet.m in obſervationibus Foreſti per narrationem caſus illius Nobilis Militis, duo ſemper, licet unum cernentis, qui in ſolam humiditatem referebat originem, videns dexterum oculum magis humidum, & madentem prolapſum judicavit viſorium ſpiritum, impeditum ex tali madore ob humoris aquei limpiditatis reverberationem, dicens idem evenire in diutius inſpicientibus Solem, dum eorum oculi madefiunt ex ipſius nimia luciditate, & qui unus eſt, duos aſſerunt eſſe Soles, & cum aliam rem ſubitò intueantur, duas ſimiliter fateantur, cum oculus limpiditatem tantam ſuſtinere non poſſit, expreſſis lacrymis humectetur, & viſus hebes fiat. Revera tamen integrum viſionis actum oculi, nervique optici jiſdem appenſi perficiunt, intra illorum clauſtra, ut verbis Villis utar, viſibilium omnium imagines ichnograficè depingunt, atque horum ſcilicet nervorum comeatu imaginum inibi depictarum perceptio communi ſenſorio convehitur, quo fit, ut dum nervi illorum ab aliqua obſidenti materia, incerto quodam ſitu aggeſta viſionis axis, vitiato muſculo adducenti, varietur, & obiecta duplicata cernantur, ut Auctor aſſerit de quodam Juvene paralyſi obnoxio, cui cum cæteris oculi ſiniſtri muſculis relaxatis, adducens fortiùs contraheretur, propter oculum ita diſtortum, obiectum quodcunque duplex apparebat, nec quod verum eſſet diſtinguere poterat; Rem taliter & explicaſſe Etmullerus videtur, dicendo, licet oculus ſit duplex, non tamen una res duplex apparet, quia axes Pyramidum viſualium coincidunt in unum punctum, unde viſio duplex in utroque oculo eſt ſimilima; Sin verò contortis oculis axis ita variat, etiam una res duplex apparet, qui axis, vel quæ coincidentia cum affici, & contorqueri poſſit ab aliqua infarciente materia, geminatum apparebit obiectum; quod autem permanens in te non fit talis affectio, eam ob cauſam procedit, quia contumax non eſt, ſed per intervalla matureſcens promptius diſcutitur. His poſitis; Studendum eſt diverſioni, & exſiccationi humorum, atque oculorum roburi, remotis cauſis antecedentibus, & proximis emendatis, quos ſcopos obtinere per Chirurgiam, Pharmaciam, & diætam impoſſibile non erit. Corpore purgato per pilulas cochias, & lucis ma: & de Succino Cratonis, venam brachii aperire ſatis bonum erit, & hyrudines venis ſedalibus, atque cucurbitulas ſupra

dorſum

dorſum ſcarificatas replicare; Humores, digerentibus, atque præparantibus digeſti, iterum per pilulas cum extracto elebori nigri, & agarico, deturbandi erunt; Poſtremò decocta ſalſæ, chinæ, ſantal: citrin:, cum hæpaticis, & ophtalmicis, nec non maſticatoria, & ſtarnutatoria cum coliriis paginam abſolvere valebunt. Conſervæ à paſtu, ex bethonica, anthoſ:, addito pulvere Euphraſiæ magno cum fructu adhibentur, & reluctante adhuc morbo, ſacculi, & fotus ab ipſo Foreſto propoſiti victoriam promittunt. Hiſce omnibus, recta victus ratio reſpondeat, ſicut, & cæteræ res non naturales, Iram præcipuè vitando, cum oculos obnubilet ex Omero, & mæroiem ex Gal:, atque Venerem fugiendo, quæ Mater cæci, cæcum facit &c.

XXXIX.

Sanguinis mictio, & vermes per urinam excreti examinantur.

NUllus eſſet fructus Medicinæ, niſi morbos multos e corporibus exterminaret, nec ullus eſſet fructus Philoſophiæ, niſi ex ea lucraremur, quod nobiſcum loqui poſſumus; Cauſa philoſophandi eſt ſemper finis veri, & cauſa curandi eſt finis boni. Duo propterea in præſenti caſu aggredienda ſunt, Medicinæ videlicet, & Philoſophiæ theoremata, ſine quibus, vel inane argumentum evaderet; Verùm, hac maximè in re, inſcitiam meam, atq; diſſenſum fateri cogor, neque tenuitas ingenii mei enodare contendit, quæ aliorum intelligentiæ elucubranda ſubmitto. Vocatus adii, ad quemdam Juvenem, acuto Mucrone ſub coſtis ſpuriis, prope ſiniſtrum renem vulneratum, ut ſanguini per urinam, (vulneris cauſa) affatim fluenti opem porrigerem; Secta proinde ſuperiori vena, balſamicis, ſuccinatis, & troch: Gord., de terra ſigillata, atque ſuccis conſolidarum, & urticæ, nec non opiatis confeſtim occurrere ſtudui, quibus conſtetit ſanguis per octo aut decem dies, atque, æger, ſatis benè ſe habens, Chirurgorum diligentiæ, pro vulneris curatione dimiſſus fuit: Poſt octo aut decem dies, iterum ſanguis copioſior

per urinam erupit, à quo atrox ſtranguria exinde ſupervenit, qua de cauſa iterum accerſitus, fortè timebam à ſanguinis grumis ſtranguriam illam originem habuiſſe; Diſſolventibus quapropter, & emollientibus utriuſque generis internè, & externè confeſtim præſcriptis, urinæ ardor, & difficultas demulceri videbatur: Paulò poſt ſumma mejendi cupiditate correptus, matulam petiit, ſævoque vexatus urinæ teneſmo, nec gutam aquæ expellere poterat, ſuccreſcentibus poſtremò torminibus, aſſidentibus in admirationem adductis, gliſcens obrepſit unus vermis per penis orificium, qui illectu lactis vaccini ulterius allicitus, tandem foras erupit, longitudinis palmaris; Poſt hinc, duo aut tres alii mortui exigui, acus magnitudinem non excedentes, una cum urina, & ſanguine, prodierunt. qua evacuatione peracta, ſtranguria locum dedit; Iſtorum propterea vermium generationis elucubrationem aggredi, idem eſt mihi, ac paradoxon ſuſcipere; Re tamen bene perpenſa, ſic procedendum judico. Qui à putreſcentibus humoribus, ac potiſſimum à pituita dulci, & lenta, vel à putrido phlegmate, vermes generari autumant, facili negotio ſe expedire poſſunt; Nam colato ſanguine in veſica, neceſſarium fuit ut putreſceret, cum totus evacuari non poſſet, ac putreſcat ni moveatur unda, præparando quapropter, ſeu ſeſe diſponendo, probabile eſt ſanguinem eam aquiſiviſſe diſpoſitionem, quæ vermibus producendis idonea erat, medio efficienti, hoc eſt naturali calore veſicæ: Attamen cum viventia quæque ſuis ſeminibus natalia debeant, prædictam hypotheſim nimis longè à veritate diſſitam demonſtrant Recentiores: Ex Ouvo enim, neque homine excepto, cuncta animalia generari comprobant moderni, & ipſa Ouva, ex quibus beſtiolæ illæ excluduntur, cum ipſis aſſumuntur alimentis, & quia minutiſſima ſunt, ut plurimum, neque in prima, neque in ſecunda ſubiguntur digeſtione, ſicque integra, & illibata permanentia, data minima occaſione in ſanguine, vel extra ſanguinem excluduntur. Sanguis igitur in veſica, vulneris cauſa, demiſſus, ob defectum motus circularis, & fermentativi in vappam degenerare debuerat, ſeparatis proinde illius componentibus partibus, Ouva, quæ reperiebantur ortui diſpoſita, invicem foveri valuerunt, ingredienteſque particulæ ſubtiliores (auctis fibrillis, tamquam ab agente extrinſeco) illa Ovula, alluere, augere, atque extendere potuerunt, donec ipſi vermes enati, & ex reſſidua fæce nutriti, creſcendo ampliores fierent; Ex quibus deduci poteſt illos vermes in veſica fuiſſe genitos, non aliunde

tranſ-

tranſmiſſos, materiam verò generationis fuiſſe ſanguinem extravaſatum, ſemen, vel ſemini quoddam analogum, ſive Ovum tanquam principium vitale in ſe continens &c.

X L.

Polutio involuntaria:

AN caſus, an fatum, ad ſuſtinendas Mulierum querelas me adduxerit, certè neſcio. Quærula Venus plurimum doloris exhauriens, cum, propter Coniugis ſui involuntariam ſeminis effuſionem, debitum exigere, atque obtinere non poſſet, auxilii gratia, ad me confugere nequaquam ſera fuit, cujus miſeritus infortunii, ſequenti locutione, illam à mærore erigere ſtudui. Sanè, juxta Galenum, peſſimus ſtatus eſt illorum, qui genitale ſemen copioſum, calidumque gignunt, quod eos ad expulſionem ſui proritat, poſtquam & ventris os illis reſolvitur, & illi, toto corpore, non ſolum relaxantur, imbecillique fiunt, ſed etiam ſicci, graciles, caviſque oculis cernuntur; & juxta Hipp: in deploratam, ſeu dorſalem tabem perſæpe incidunt; Notandum tamen polutione involuntaria non omnes ab eadem cauſa laborare; Diſtinguendus eſt liquor ſanguineus, & ſpiritus vitales, à ſpiribus animalibus, & à nerveo ſucco: Diſpendia, & meræ evacuationes ſolius ſanguinei fluidi extremam debilitatem non cauſant, nec adſtringentibus intempeſtivè ſupprimendæ, è contra ab aliis ſpiritalibus, & ſucco nerveo, qui cum magis ſpiritoſi ſint, quam materiales, patiuntur magis ab inſenſibili diſſipatione, quam ab evacuatione ſenſibili, exhauritur enim ſanguis ſulphure butyroſo, ideo facili negotio rarefit in naturam ſalinovolatilem pronam in diſſipationem, & auram, remanente proinde debili complexione, ubi paulò fortiora adſtrigentia, & opiata, quæ fibrarum tonum firmare valent, & partium ſpiritualium effluvia coercere, proficua ſunt: Occurendum igitur morbo, ſi corpus indiget purgatione, cum manna in decocto tamarind: & Mirabolan:, vel conſer: ex caſia Donzelli cum rhab: uſto; diluentia ad ſalia biliosa, & pancreatica diſſolvenda, omittenda non ſunt, ſerum ſcilicet lactis diſtill:, aqua Villenſis, ſucci Nympheæ, ſoncii, indiviæ, cum balneis; In genere ſpiritus, & virtutem nutritivam exuſcitan-

tia convenientiſſima ſunt, lac Caprinum cum bolo ex ſaccaro roſato, & trochis de terra ſigillata, & de carabe, lac pariter medicatum, emulſiones, decocta ranarum, ferculum Saxoniæ, herbæ recentes, piſces, ranæ, caro vitul:, fructus cocti, & potus copioſi ex decocto indiviæ cum ſantalis, & lentiſco, vino interdicto, aut ſaltem auſteriuſculo conceſſo; A cena nonnumquam opiata, & poſt prandium, uſus coſer: borag:, roſarum, nimpheæ, cum maſtice, & gum: ceras nigr:; Poſthac tinctura Martis adſtringens, atque Corallorum, cum Balſamo Copayvæ, & extr: tormentillæ ad longum tempus continuati, quia morbus eſt contumax, curationum ſeminalis profluvii abſolvere poterunt, quæ omnia, ſi ad unguem ſervabis, proſperitatem, nec non emolumentum tibi pollicentur.

XLI.

Vomitionis admirabilis obſervatio.

VOmitionis cauſam proximam & coniunctam, eſſe ſpirituum animalium ventriculi tunicæ carneæ inſitorum, ſubitam, & vehementem exploſionem, aſſerit Villis, qua quidem illi plurimum irritati, proindeque expanſi, & rarefacti, cum è fibris tendinoſis omnibus, & maxime ex illis, quæ prope os ventriculi conſitæ ſunt, in fibras carneas impetuoſe proſiliunt, eaſque adeo repente inflant, & abbreviant propterea ut ſtomaci latera, & fundus ad ſe invicem propriè adducta, ſimulque verſus orificium ſiniſtrum ſurſum correpta, contenta quæque in Eſophagi ductum ejiciant, & per oris hiatum egerentur. Irritamenta iſta, vel ſunt ore ingeſta, vel in ventriculo genita, vel ſpiritus ibidem hoſpitantes irritantur propter moleſtiam quamdam ſpiritibus aliis inflictam, & inde per fibrarum & nervorum ductus ventriculo communicatam. Vomitio igitur non immeritò motus convulſivus dicitur, ejuſque cauſæ remotiores ſunt quæcumque ſpiritus, ſtomaci fibris carneis inſitos, graviter irritant, de quibus nec prope, nec procul mihi differendi intentio fuit, unius tantum vomitus particularis notationem aggreſſus, quo quidam Frater Ordinis Minoris tam acriter torquebatur ut iam iam deſpe-

rato remedio ſentiret ſe mori: Cauſam hinc inde devolvens, expertis validioribus artis Medicæ præſidiis, & maximè mixtura ex diaſcordio, laudano opiato, cum corn: cer: pp: & Margaritis Or: in aqua meliſſæ, (quæ aliàs exitum cum voluntate congruentem ſortiri aſſueverat) tandem una die, vehementiori ventriculi ſubverſione correptus, ſex aut ſeptem limaces, quas hyemis tempore 40. diebus, abhinc, comederat, eaſque fermè integras per vomitum ejecit: Hac evacuatione peracta, continuato proinde ordinario præſidio, nec non appoſito ſupra ſtomacum emplaſtro de cruſta panis Montagnanæ, pul: menthæ, & aromatibus noviter inſperſis, tandem conſtetit vomitus, & ſanitati reſtitutus eſt æger. Num autem in tunica villoſa, vel in fundo ventriculi tandiu latuerint illæ limaces, judicet qui vellit; At fortaſſe hyemis tempore comeſta, quæ ſponte naturæ in limo per hyemem deliteſcit, adveniente Vere, hirſutaque campe prodidit.

XLII.

Delirii Melancholici Curatio idealis.

VIX diſceſſeram à quodam Fatuo, qui illum ne morderent Pulices, lumen extinguere aſſueverat, quum vocatus, adii ad quemdam Clericum delirio melancholico laborantem, compedibus devinctum, qui tam miſer erat, quam crederet, atque magnum morbum dum putaret, faceret, omnia ad opinionem ſuſpenſa. Scrupoloſus iſte ultra limites factus, putans ſuorum peccatorum non eſſe veniæ locum, deſperare incepit de Divina Miſericordia, & pro ut peſtilens plaga tacitis actibus per viſcera ſerpit, ſic læſa ſpeties per dementis cerebri anfractus, ulteriores ſuccreſcit in gradus; Cauſam ſuorum criminum, permittente Deo, ab Excellentiſs. Mediolani Senatu recognitam arbitratus eſt, ſententiamque emanaſſe, in craſtinum media in Platea Maiori ſupenſurus, ubi plures Dæmonum legiones ad raptum Animæ, & Corporis in promptu eſſent. Hac correptus dementia, varia loquebatur delirans, variaſque nunc à Deo, nunc ab Amicis expoſcebat pietates; Blandè perſuaſus de falſo ſuppoſito,

poſito, ulterius exacerbabatur, & in furorem ſæpe adductus, minas, morſus cuicumque injiciebat, ac ſe à feneſtris demittere ingenti opere contendab; Adſtantes aliquando credebat tot Dæmones ſpectatores ſuæ Illiadis, & avidos Leones ad illum devorandum paratos; Cumque omnis Medicus lapis in caſſum motus eſſet, animi illius quoque curationem ſuſcipere decrevi. Simulato vultus furore, una die, mane, illius cubiculum ingreſſus, ſic procedere volui. Ah perfide Homo, ſurge, iam hora eſt confringendi impiæ tuæ cervicis oſſa, exi ſtatim à lecto, jam præſens eſt hora tui patibuli, Confratres Juſtitiandorum extra Januam te attendunt, Dæmones horribili ejulatu te clamant, indue te ſine mora, (inſimulans illum à compedibus ſolvere, & vi extrahere à Lecto). Fletu clamoſo perfuſus varias in exclamationes, in compunctionem, & amorem erga Deum prorupit, ac profundiſſimis lachrymis lectum rigavit, cogebatque ſe induere neſciens quid acciperet; Quid luges Fatue, dixi, quid lamentaris, tantum ne times mortem, ſiccinè expaveſcis Infernum, reſpuis partem habere apud tot Principes, antiquos Imperatores, alioſque veteres Pontifices, ac Sacerdotes, forte tua præclariores? (Ah in medio ignis) dixit! Quid in medio ignis?, non eſt ignis pro te apud Inferos; nonne memineris filios decurrentes per accenſam fornacem Babylonis, & Laurentium ſupra prunas hymnos canentem? conſerva amorem Dei in medio ignis, & Inferni non ſenties ardores; Tunc fixis in me oculis, dixit (Poſſum ne hoc facere & ego) Quare non?, nonne tu homo es eadem carne indutus, eodemque ſanguine Chriſti redemptus? (Serenata fronte, exſiccatiſque lachrymis, ſubiunxit; profectò hucuſque hoc non cogitaveram, volo egomet hoc facere, & non amplius timere), (cogebatque ſe induere), attende adhuc, dixi; Quid tibi feliciùs prædicere debeo, attende mihi. Tu perſæpe Sanguinem Chriſti invocaſti tuum in auxilium, idcirco Pater Æternus ſubſequenti Decreto ſeveritatem prioris reformavit, ſcilicet, ſancitum eſt à Deo, quod ſi Miniſtri ejus juſtitiæ te invenenerint dormientem, non arripiaris, ſed vives, & ſalvus eris; Ideo ſtude, ut dormias; Tunc (ac ſi cæpiſſet cerebro ſapere, dixit) Care Doctor da mihi igitur aliquid ad dormiendum (ſervabo mandata tua, emplaſtrum capiti tuo imponendum mandabo, atque potionem ad ſomnum offeram, hoc interim quieſce,) ac illius caput linteis & lodiculis optimè contegere volui) exinde applicandum decrevi emplaſtrum veſſicatorium Minſich ad mentis alienationem ſu-

pra

pra ſuturam coronalem, à quo inde multùm emanavit materies, iterumque mixturam opiatam præbui. Dormivit per horas tres, & poſt ſomnum, hac dulci fraude, ac conſimili deluſione peracta, mediis etiam medicamentis, & ſanguinis miſſionibus antea peractis, ſanus mente, experrectus, convaluit, ac Sacerdotio promotus, ad Altare quotidie celebrat.

XLIII.

Cauſonis Curatio per aquam frigidam.

VAlleſium de ſacra philoſophia mihi ad manus habenti, & illud Eccleſiaſtes expendenti: *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & Mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat Homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*, occurrit curandus quidam Piſcator cauſone febre laborans, qui diem morbi octavam percurrens, ſiti inextinguibili, calore pergrandi, vigiliis, & ſubdelirio agitatus, tædio remediorum affectus, accita Muliere, ſitulam aquæ frigidæ petiit: dedit illa, potaturum putans, quam ſenſim elevans, ori accomodabat, ut biberet, tunc ille, omni, quo potuit niſu, ſuper caput ſitulam evertit. Uxor exclamans, ehù me miſera incauta quid feci! At coniux, ſile, inquit, ego enim hoc egi, nimio æſtus calore, ut refrigerer, & mehercule videor reſpirare, & melius habere me ſentio. Febris tamen non omnino evanuerat. Unde altera die ſemoralia poſtulans, finxit ſe parum deambulaturum, & pedetentim ad vicinum ſuæ domui lacum ſe contulit, totumque oretenus immerſit, ſtetitque per horam, poſtquam ſine febri vividior, & ſanus exiit. Quid hic autem Philoſophia, quid effabitur medicina, certè, & ego neſcio; Annè per meatus rarefactos evaporaverit ardor febrilis, an per frigiditatem aquæ extinctus calor? Cur potius per majorem conſtipationem ex frigore non efferbuit magis, incendioque concepto non periit, & ſanè debuerat Piſcator infelix, cum quiſque pereat ut plurimum in arte ſua; At, quæ continuò dederat Piſcatori vitam, unda, mortem abſtulit, & homo non inveniet opus quod operatus eſt Deus.

XLIV.

Curatio Tranſplantatoria.

NUm ſympatia, vel compaſſio poſſit in humanis rebus operari Theofraſtici Gymnaſii diſcipulos, & Magni Alberti Academicos conſulens, compervi Animalium quædam aliis mederi, alia malis ab eo inflictis, alia aliis etiam ſui generis, atque etiam ſibi ipſis; Plantam Heliotropii ſolis ſponſam nuncupatam, ſole virginis ſignum tenente, conciliare amorem; in magnete vim eſſe, qua ferrum admirando modo, nulla addita manu, aut pede attrahitur, & hoc naturæ ſingulare eſſe miſterium, didici; Natura, quodlibet à ſe productum, ſuis particularibus ſignis, per quæ vires ejus cognoſci poſſunt manifeſte notat, propterea prodidit Paracelſus *naturales Magiſtros plus, in, & ex, natura diſcere debere, quam ſuper naturam garire*, & mehercule, ſi huic ſtudio enixe incumberent practici, multa erverent ad morbos profligandos proficua, qui medicinæ dedecore incurabiles contextantur; Ad rem. Communi remediorum tædio affectus, vel particulari medicamentorum nauſea adductus egomet menſe Septembris febre tertiana duplici intermittente laborans, quintamque percurrens morbi diem, cogitavi de febre per tranſplantationem eradicanda, accito quapropter Amico, mihi offitioſe favente, ut ſumeret fruſtulum carnis vituli, illamque in Furno exſiccatam mihi afferret, rogavi; Arbitratus iſte ſe illuſurum fore, aliquam paſſus fuit difficultatem; Ex repetitis verò ſedulitatibus, tandem meo ſatisfecit animo; Mea in ipſa urina recenter edita ſpatio 24. horarum, carnem dictam poſui, deſuper mingendo, ut priſtina recuperata conditione moleſceret, & febris caractere ſaturaretur, & exinde ſodalis cujuſdam in cubiculo, clauſo cani præbui, donec à fame devinctus carnem ederet. Hoc peracto, & canis fuit dimiſſus (mirabilis eventus), ſecunda die ab eſu carnis, ipſe canis correptus fuit febre cum rigore, Solem quæritans, tremulus, eyulans, & latrans; die tertia ego omnino à febri immunis evaſi; Canis verò continuò febricitans, & latrans die, nocteque, tandem in ſeptima crepuit &c.

XLV.

Hæmoptyſis extraordinario methodo curata: Pediculorum virtus.

QUintum Serenum ad manus habebam, ubi de pediculis canit;

Noxia corporibus quædam de corpore noſtro
Progenuit natura volens abrumpere ſomnos
Senſibus admonitis, vigileſque inducere curas;

quum quidam meus Affinis, ſex abhinc annis, pectoris hemoptiſi laborabat, quam ab anatomaſi vaſorum exiſtimaveram tuſſi, febricula, & corporis aliquali emaciatione, coniunctis; Poſtquam multa peracta fuerant, intervenit Medicaſtulus quidam ſe offerens patientem, triduum, curaturum, deditque illi prima die 300. pediculos vivos, die ſecunda 150. die tertia 100., & mehercule ſanguis cæpit conſiſtere, tuſſis imminui, cæteraque ſymptomata remiſſerunt, atque excitato fonticulo in brachio, omninò reſtitutus eſt patiens, validuſque ſe gerit. An hoc effecerint pediculi, inquiramus. Apud Belgas audio pediculos potos commendari à nonnullis adverſus morbum regium, quod experimento Zacuti Luſitani in quodam Ictero confirmatur; Cæterum cum civiles hominum mores à tam fædo abhorreant remedio, neſciis dandum erat. In Cumana inſuper Inſula, ſicut in libris de navigationibus in Indias legimus, pediculis coctis, & crudis veſcuntur. Non paucos phthiriaſi ideſt morbo pediculari extinctos legimus, ut Hærodes, Pherecydes, Syrus Pithagoræ præceptor, Caſſander Antipatri filius, Caliſthenes, Sylla Atteni enſis, & alii, ut videre eſt apud Uliſſem Aldroandum; Nullum verò pediculorum auxilio ex ptiſicis ſervatum ſentio; Communiter tamen in ſecunda & tertia hecticæ ſpecie illi abundare creduntur, ut Ariſtoteles, Theofraſtus, Aldroandus, Avicennas, & Mercurialis teſtantur; Igitur ſi ex corpore hectico, vel ptiſico facilius oriuntur, poterunt & iiſdem morbis promptius mederi, nam in natura, apud ſummum venenum, plerumque latere etiam medicinam, nemo non videt, quia mala majori bono copulata, natura conſiſtunt, nec ſine cauſa multi populi in Cumanis Inſulis

ſulis pediculis veſcuntur; & fortaſſe ad reparandam pthiſim, quam Inſulæ illæ ob ſalis muriatici copiam Incolis interminantur, nullo præeunte horrore, nullove ſubſequente periculo; Omnia enim homini inſerviunt, & uſum aliquem præſtant, nec ullum eſt adeo putridum inſectum, ex quo quandam ſibi non vindicet homo utilitatem, nec Deus aliquid fruſtra creavit, ſed unamquamque creaturam licet abiectam peculiaribus virtutibus dotavit, & ubi deficit in corpore, abundat in viribus vermis.

XLVI.

Artritidis Curatio particularis.

PErequitans una die extra mænia Civitatis, obvia mihi fuit paupercula Mulier ab Artritide contracta, duobus Scipionibus innixa, vix procedens, dolores, & contracturas in artubus deplorans: Cum me probe noverit, quæritare cæpit (credideram, argenteum ſubſidium) ſed ipſa dixit remedium pro mea infirmitate; Alia ego animo, menteq; revolvens, joci gratia, illam, ut furnum triduò ingrederetur, ſuaſi, poſt extractionem panis; Tranſactis aliquot diebus egredienti à Domo, iterum obviam mihi venit ſupradicta Mulier ſine baculis, agilis, & ad motum prompta (quam ego non recenſens) de præſtito auxilio in gratiarum actiones ſolvebatur, offerens ſimul mihi quædam ouva recentia; Deridens propterea ego eventum, atque præmium, ſcire volui, habiti conſilii abſolutionem. Extenſam ſupra ligneam tabulam ſe introducere fecit in furnum hora una in die, per dies tres, à quo copioſiſſimus ſudor emanavit, & inde ſana evaſit.

Hoc cito, tuto, experto auxilio, excogitare incæpi conſimile præſidium, quod & jucundè, alios ſanaret artriticos. Die propterea, nocteque libros revolvens, unum tandem non longè diverſum à Thoma Zeferiele Bovio, ſicut & aliud ejuſdem farinæ à Veccherio de ſecretis mutuavi remedium, quorum beneficio omnes artriticos breviſſimo temporis ſpatio ad ſanitatem reductos habeo; Conſtat illud Bovii thure, Laudano, ſtirace calamita, benzoin, & mirra,

fitque

ſitque ſuffitus in lecto juxta ordinem ejuſdem Auctoris; Aliud Veccherii, componitur ex lachryma ligni, thure, ligno aloes, ſemine balſaminæ, ſtirace odorata, & cortice citri: Poſt congruvam purgationem committitur ſuffumigatio, & cadit, ut optatur, omneſque artritici breviſſimo temporis ſpatio ad ſtatum naturalem reducuntur, ac penes experimentum una ſatis fides erit.

X L V I I.

Obſervatio antiquartanaria.

MIrabar cur Chriſtophorus Guarinonius olim Medicus à cubiculo Cæſareæ Maieſtatis in ſua prima conſult. laudaſſet in febre quartana vomitum excitandum pridem illius diei, quo acceſſio febris futura erat, à cæna, in qua illi cibi ſumi debebant, qui ad vomendum idonei erant, ſtatuens exinde longam humorum præparationem, ac multas corporis purgationes pro febre auferenda. Verum ſi ullus eſt morbus, ex Villis opinione, qui feſtinantem eludat Medicum, quartana eſt: Morbus enim iſte remediis exarcebatur, & in duplicem, aut triplicem mutatur, quare potius ad ſpecifica recurrendum: Si quis autem voluerit uti purgatione, ſiquidem emeticis promptius & facilius ea obtinetur, ſed quatuor, aut quinque horis ante paroxiſmum tutius exhibentur, ut eo ingruente peracta ſit evacuatio, nam ſic humoris paroxiſmum inducturi pars reſcinditur, ſuper quam rem conſulendus Nicol. Tulpius lib. 4. qui aliam tradens cautionem de ſanguinis miſſione, ſic procedit *noli itaque quiſquis es quartanam, quæ neminem jugulat, temere ſanguinis miſſione irritare, non enim feres id impune, ſed illam facile reddes deteriorem, atque in hoc te exercito, ut ſi non proſis, ne quid noceas*. Deterruit me præceptum, ac per multos annos, quibus Medicinam feci, odio habui vel ſolius ſanguinis miſſionis nomen in quartana, ſolumque emeticis ante paroxiſmum ſemel, aut bis exhibitis, & digeſtivo ex Tartari Vitriol: onc: una, cum vini albi, & decocti paſſul: lib. 6., ter in die ad onc: 6. exhibito, mane, in primo prandii, & paulò ante cænam, ac ultimo mixtura ex cort: Perù onc: una cum dimi-

dia, theriacæ Drach. 6., Salis armon. febrifugi drach. duas, pul: florum centau: mi: drach: unam, & ſemis, ſirupi de ſuc: Cichor: q. ſ. in 12. partes, dividenda, omnes Quartanarios citò, tutò & jucundè ſanitati reſtituebam. Evenit tandem caſus cujuſdam Mulieris feb: quartana laborantis, quæ ordine ut ſupra, juxta experientiam centies habitam, minimè evadere poterat; Alteram propterea curandi viam cogitanti mihi occurrit obſervatio Riverii de ſanguine mittendo à Salvatella, cumque recordarer ab ipſo Tulpio ſcriptum fuiſſe, quod aliquando ſanguinem detrahere ipſa acceſſionis die, quinque, aut ſex horis ante invaſionem, ſat commodum ſit, ideo ſanguinem detrahendum decrevi ipſa acceſſionis die, & mehercule febris mitior evaſit, continuatoque præſidio, facta videlicet quinquiès levi ſanguinis miſſione à Salvatella, illa eadem die qua febris ingruere aſſueverat, paulo ante ipſius invaſionem, tandem ob ſanguinis multifariam mutatam texturam, febris omnino diſparuit, & Mulier abſque recidiva ſana, & validior evaſit.

XLVIII.

Intempeſtivi Kinæ Kinæ uſus nocumenta:

De obſtruct:, ac inflammat: meſſenterii cum affectibus ſpaſmodicis.

De Kinæ Kinæ effectibus, & an ante, ac poſt ejus uſum, corpus ſit purgandum.

Vbi ridicula hiſtoria de urinæ ſuppreſſione annotatur.

NON *ſine conſilio, & providentia percutit dorſum noſtrum, & collum noſtrum Dominus, ut, juxta Thomam à Kempis, incurvemus ad voluntatem ſuam tortuoſitatem noſtram,* nec ſine cauſa factum fuit, quod egomet Romæ ſtudio Medicinæ degens febre tertiana duplici inter-

intermittente corriperer, ac ut promptius evaderem, ſatis magnam cort: Peruviani copiam mihi ipſi præſcriberem. Expulſa per corticem febre, ſupervenit tenſio, & renitentia in medio ventre, & ſub ventriculo, ac regione umbelicali cum gravitatis ſenſu, & acutiſſimis totius corporis convulſionibus, breviter deſinentibus, & noviter recurrentibus, perſtante perenni dolore convulſivo in dorſo, ac renum regione, qui corpus meum more tetanos contraxerat, hiſce acceſſerant febris lenta, vigiliæ, alvi durities, tuſſicula, & corporis emaciatio. Peractis multis, quatuor menſium ſpatio, ſed in caſſum, præſidiis, ſub auſpiciio DD. Phyſicorum NN. de ſalute mecum, omnes deſperabant: Inita poſtremò conſultatione cum Egr. Baglivio ſancitum fuit totum morbi fomitem ad plexus meſeraicos pertinere, ob latentes in illis obſtructiones, quas infinitorum, & diverſorum morborum cauſas meritò notaverat Sylvius, ubi ſanguis non æquè ſubactum per Kinam Kinam ſepoſuerat febrile fermentum (cujus abuſus intempeſtivus, juxta ſenſum Etmulleri, perſæpe pertinaciſſimam alvi adſtrictionem cum Abdominis tumore inducit) cui advenientibus aliis indolis diverſæ moleculis, facta obſtructione, nec non inflammatione lato modo ſumpta, elevatiſque flatibus, omnia proinde ſupervenerant ſymptomata, quæ corporis mei æconomiam corruperant. Jam nivoſa Hyems erat, ſed cum periculum eſſet in mora, curationem illicò, & immediatè incundam dixit Baglivius, qua de re præſcripſit ſemicupium herbis emollientibus alteratum ſingulo die per horam ingrediendum, bolos alternis diebus nocte ſumendos ex caſia, pilulis de hiera cum agarico, & confet. hyacint. albi, nec non cardiacum ex confet. hyacint. alb., alchermes, requies Nicolai cum ſpet. diamargarit. frigid. in aquis papau. rub., & violarum frequenter mihi offerendum. Methodo ad unguem ſervata uſque ad 57. diem, nec omiſſa exacta victus regula ex decocto limat. corn: Ceru., & ferculo ſuxoniæ ſivè ſimplici panata cum ouvo ſorbili, tandem exitum res habuit non à mea, nec ab illius voluntate alienum. Ultimo longo uſu diſtillati ex ſuccis depurat. cichor: ſoncii, borrag: cum ſero lactis, & 4. ſemin. frigid. ac raſura corn: Cer:, & granor. Kermes parati per B. M., & ad onc: 6. ſingulo mane epoti, una cum oleo amigdal. dulcium, ſingulo veſpere ad onc. duas continuato, tandem priſtinam, ac integram valetudinem, annuente D. O. M. adeptus ſum.

Jam igitur videndum an ante, & poſt, Kinæ Kinæ uſum, purgandum ſit corpus, pro cujus argumenti ſolutione, quoniam ad veteres

artis

artis Magiſtros confugere minimè poſſum (quibus corticis non innotuerant vires) ad Recentiores tranſeo; Diſſentientes iſtos tam in illius effectu, quam in mandato ſummopere video. Qui Kinam Kinam etherogeneas, ac febriles ſejungendo particulas, qui illas in unum acervatim confluendo, ac præcipitando operari autumant, qui in primas vias, qui in ſanguinem vim ſuam, atque energiam exercere arbitrantur, qui purgans ante, & poſt ejus uſum indiſcriminatim offerunt, qui nedum purgantia verum metipſos clyſteres ab ejus uſu expaveſcunt, qui diuretica, qui diaphoretica, qui cathartica facultate illam pollere conteſtantur, qui illius effectum in primis, vel cum primis, & ſecundis confundunt qualitatibus, ſuper quam rem conſulendi ſunt Etmullerius, Barbetta, Bartolinus, Jo: Fortis, Villis, Sydenham, Tencha, Mortonus, & alii, ac demum Caſtillioneus in ſuo Antidot. Mediolanenſi, quorum diſcrepantiam cum ob diverſam uniuſcujuſque temperamenti analogiam, ac ſanguinis craſim eveniſſe crederem, tum quia nonnulli, vel illam ſubſtitutivè advehunt, vel aductam Kinam mentiuntur, nec mirum ſi exindè diverſos, ac ſæpè oppoſitos Kina ſortiatur effectus, quæ pariter ſi vel multiformibus corrumpatur mixturis, vel à quibuſdam Pharmacopolis ad manus ſemper habentibus *il loro particolare ſecretino*, aliorum ingredientium conturbetur miſcella, diverſi etiam, & oppoſiti reſpondent eventus, ut à quibuſdam agyrtis fieri ſolet in alterando metipſo ſirup: roſ: ſolutivo, aut caſia, jis ſcamonium, aut magiſterium Jalappæ immiſcendo, ut præclariores in alvo exoneranda, ſive potius abſtergenda eluceſcant, ac prædicentur. Agitantur exinde cauſæ naturales, ac ſapientum Medicorum obtunduntur capita. Apparebit tamen, Deo dante, induſtria, dona, ſeu damna ferentium, appropinquabitque hora qua adulteria ſua confitebuntur agyrtæ, eodem prorſus fato, ac evenit in Xenodochio Mediolani cum varii Medici varia diſceptarent ſuper eventum cujuſdam ruſtici, qui cum primùm urinam reddere non poſſet, pudendo inflammato, tandem ipſis in admirationem adductis, tres fabas prorſus integras cum lotio reddidit. Poſt longam trium horarum diſputationem, inquirentes vias, quas integræ illæ fabæ permeare potuiſſent, ac in veſicam ſeponi, elevato tandem capite, ſurrexit ruſticus (bene haſtatus) dicens, ſilete ò Domini, ego enim hoc feceram, animi ſolatio, fabaſq; in penis foramen induxeram. Maledictus Paganus potuerat ſuum crimen confiteri antequam Medici inani torquerentur ſollicitudine. Jam tempus eſt, ut

ad

ad nos reddeamus. Neceſſitatem corpus purgandi ante uſum Kinæ, ego quoque expertus ſum, quam confirmat Etmullerius dicens, *ritè præmiſſa debent eſſe univerſalia*, nec ultrò hìc immorabor, cum plurimos in hac re conſentientes videam. Verùm videndum an poſt Kinæ Kinæ uſum corpus purgare liceat, in quam rem Etmullerium ſic loquentem audio. *Inſtituenda poſt ejus uſum ſummè neceſſaria purgatio:* Sic etiam ſenſit Bartolinus dicens, *fermentum hoc, medicamento quaſi vinctum, & in unum compactum, niſi apti, & appropriati cujuſdam purgantis beneficio è corpore educatur, vim ſuam fermentativam tandem exerturum, unde perpetuum febris fomitem derivare poſſemus*. Itèm Barbette in febribus curandis primò purgat, deinde pulverem exhibet, poſt rurſus purgat. Contra quos ſtant infiniti alii, & maximè Sydenham, qui ab ejus uſu metipſos clyſteres odio habendos mandat. Quid igitur ego pro mea ingenii tenuitate adverſus egregios Viros auderem proponere pro argumenti enodatione, certè non video! Ex ore ſiquidem infantium, & lactentium perficienda foret ſolutio. Attamen ne videar hærere in ſicco, quod & ego ſentio, paucis expediam. Quum ab uſu corticis maximè intempeſtivo ſupprimenda fuerit febris, corpus purgandum poſt ejus uſum ego quoque crederem, ne juxta ſenſum Bartolini, perpetuum febris fomitem derivare videamus. Ne autem per purgationem exſuſcitetur fermentum à cortice quaſi vinctum, & in unum compactum, vel ne denuò ſimul coeant diſperſæ per corticem particulæ, ſummopere neceſſarium crederem ut metipſis purgantibus immiſceatur ſufficiens ejuſdem corticis portio, ut ſimul reſcindatur humor paroxiſmum inducturus, & ne particulæ etherogeneæ in motum iterum concitæ præternaturaliter efferveſcant, ac novam maturationem aquirant, ac poſt congruas purgationes iterum de puro cortice exhibendum cenſeo, donec, diſciplinæ benefitio, ſufficienter attritus, atque edomitus febris fomes judicari contingat. Hac methodo, mihi, & vita, & arte fæliciter frui contigit. Altiùs alii teneant, qui meliora vident, ne cum ſomniante oleum perdant, & operam.

XLIX.

Sincopes periodica notatu digna.

ENarrat Galenus caſum illius famoſi Grammatici, qui ob læſionem oris ventriculi in comitialem incidebat affectum, dicens, Grammaticus quidam juvenis quoties vehementer doceret, vel cogitaret, vel inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, comitiali morbo corripiebatur, & per conſenſum oris ventriculi id eveniebat, & alibi de locis aff: dicit aliquando aliquem, & per conſenſum, & propria affectione laborare, cum in affecta particula per conſenſum ſit permanens diſpoſitio. Gemina mehercule, atque etiam mirabilior videtur affectio qua torquebatur quidam Dominus ætatis annorum 35. temperamenti bilioſi ad ſiccum quoque vergentis, qui deambulans per Civitatem, ſuis negotiis deditus, hora veſpertina, levi corripiebatur dolore in fundo ſtomaci hepar reſpiciente, quo paulatim quadrantis horæ ſpatio, ad orificium ſuperius elevato, de repente tremore convulſivo concutiebatur, & præcipiti virium lapſu decidens animo deficiebat, ſudoribus frigidis, pulſu rariſſimo, extremo vultus pallore, bona tamen reſpiratione exiſtentibus. Poſt horam reſipiſcente ſpiritu, viribus, loquela, pulſu reſtitutis, ſuis iterum fungebatur muneribus. Sequentis diei eadem hora, eodem correptus paroxiſmo miſit ad me, ut diligentia qua poteram audacem adeo eluderem hoſtem publica in via illum corripientem. Symptomatis, & morbo non ſine admiratione perceptis, variiſque interpellationibus factis pro ervenda morbi cauſa, tandem mineram verminoſam in ventriculo latitare aperuit ratio. Conquerebatur de quodam mordaci pruritu in ſtomacho, cum quadam nodoſa gravedine, quæ cibum etſi tenuem, non niſi magna cum moleſtia infra permeare permittebat, à cibo mox pallere, mox rubere ſolebat, oris ſiccitate, atque dentium ſtridore nocte tenebatur, cum tenſione in regione umbelicali. In Viſceribus igitur naturalibus acidum verminoſum latitare conjecturavi, quod per intervalla matureſcens, ad plenitudinem evectum, pylorum peteret, afficeret, ac in enarratam ſyncopem, patientem adduceret, tum quia in illo congeriem ſpirituum, nec non animam ſenſitivam ſomniarunt Antiqui, tum propter magnum ejus cum corde conſenſum: Hac mecum præmiſſa hypotheſi

poiheſi

potheſi ſaburram verminoſam evellere tentavi Emeticis, & Mercurialibus, à quibus ſurſum, & deorſum acidum ſpirantia exploravi. Idem tamen rediit illa, ejuſdem diei, hora, paroxiſmus, ſed non tam gravis, fortaſſe, quia in lecto degebat æger: Iterum die ſequenti exhibendum volui Mercurium dulcem ad gr. xxx: cum ſaccari roſati drach: ii., nec fruſtrà, apparuit per ſedem unus vermis terretis, ſive rotundus ordinarius: Obſervata hora paroxiſmi, valde imminutam ſyncopem notavi. Continuato quapropter antiverminorum uſu internè, & externè varios exinde vermes ſtercoraceis materiis immixtos depoſuit æger. Nundum verò evulſo morbi fomite, qui levi adhuc animi deficientia, cum vultus pallore, ſtatuta hora, manifeſtabatur, cogitare incæpi de cauſa antecedenti, quæ vera, & propria eſt prior ſaltem natura ſuo effectu, ſcilicet cogitavi quo modo fermentum verminoſum, per intervalla maturefcens, more febrium intermittentium, tutò corrigi, & emendari poſſet. In hac re congruum duxi corticis Peruviani uſum, quapropter comiſſa mixtura ex Kina Kina cum ſale abſyntii, centau: mi: & Diaſcordio Frac. cum ſpiritu ſalis armon: dulcif: in aquis cardui Bened: & graminis, ac per dies 15. bis in die continuata, perfectè convaluit.

L.

Colica ſpaſmodica, & portentoſa.

IN multis morbis plus intelligendum venit, quam pingi poſſit, ac etſi ars ſumma ſit, morbus tamen perſæpe ultra artem eſt, nec lucernæ ſpiculo lumine, ſed totius Solis lancea opus non rarò eſt pro dignoſcendo morbo, ejuſque interna cauſa exploranda. Juvenis 34. annor. temperamenti calidi, & humidi colicis doloribus, cum terribili adeo ventris inflatione corripiebatur, ut illius caput proprii ventris tumiditate cooperiretur, nec ſatis tantam inflationem explicare poſſum, cum monſtri jam, non hominis, figura eſſet; Evaneſcente paulatim dolore, pedetentim extraordinaria inflatio decreſcebat, augebaturque ut prius, auctis torminibus; Inanis vomendi cupiditas comes erat, alvo ſtiptica, pulſuque debili exiſtentibus; Fortè hæſitaverim de veneno, ſi æger, juxta aſſertum, aliàs in

Germania conſimilem non ſuſtinuiſſet tyrannidem; licet non tam vehementem, nec alia veneni ſigna erant. Cauſam propterea naturaliter productam, morbum adeo portentoſum efficientem mente, animoque revolvens, ad plexus Abdominis, & in primis ad illum meſenterii maximum, totum negotium pertinere judicavi, ubi ex occurſu variorum humorum indolis diverſæ, efferveſcentia orta, ipſorum tunicæ diſtendi, ac divelli tam immaniter debuerunt, advenientibuſque à tergo moleculis à ſanguine ſeparatis, vel à nerveo ſucco deciduis, particulæ in forma halitus, vel flatus elevari, & valuerunt, atque Abdominis diſtenſionem augere, nec non tumorem ordinariæ timpanitidi multo majorem efficere, non abſimili ratione ac ſuccedit in Chimia, quæ plures liquores diverſos, & ſibi contrarios parat, qui deinde ſimul commixti efferveſcentias ita vehementes concipiunt, ut vaſa etiam hermetice clauſa nonnumquam diſrumpant; irritatis pari paſſu nerveis fibris à gemini humoris concurſu, ut Villiſio placuit aſſerere, ſcilicet à ſanguine copia ſalium fixorum turgido, & à nerveo ſucco fluorem per aciditatem adepto, ſpiritus magis magiſque excandeſcere debuerunt, factoque agmine velocius confluentes, majorem explicare tumiditatem, ubi convulſivè conſtrictis ſtomaci nec non inteſtinorum fibrillis, vomitus exinde inanis & alvi durities ſupervenere. Huic ut tanto occurrerem morbo adeo feroci, & periculoſo, furibundum Archæum ſtupefacientibus aggreſſus ſum cum Diaſcordii drach.i. ſuccin: alb: pp: ſcrup: ii. laud: opiat gr: iiij., præmiſſo cliſtere ex decoct: emoll:, & carminativo cum elect: diaphenic:, oleo viol:, comomill:, & mell: roſ: ſol: Poſt horam detumuit venter, ſedatiſque doloribus, melius ſe habuit, die ſequenti eumdem clyſterem, atque bolum cum gr: iij. laudani iterum commiſi, & dolores omnes quieverunt; Die tertia, quia murmura adhuc moleſtiſſima per hypocondria excurrebant iterum clyſterem, & bolum cum gr: ij. laudani exhibui, & omninò ſedata ſunt ſymptomata. Tranſactis aliquot diebus, præſervationis gratia, ad uſum extracti Martis Pauli Zachiæ per 15. dies patientem adduxi, dehinc ad illud Villis per totidem dies in aquæ Villenſis onc. xxx., quibus præſervatoria curatio iuxta votum abſoluta eſt, facta priùs, ante chalybem, per aquam Angelicam corporis purgatione.

L I.

Altera Colicæ hyſtoria.

NOtanda, nec extra rem, altera colicæ ſpecies, ſcilicet ab excrementis induratis, quæ diverſimode ab aliis curanda eſt, talis enim colicus dolor primò expoſcit remedium duritiei ex humidis, pinguibuſque clyſteribus, poſtea ex acribus evacuantibus paratis. Hinc maxima digni ſunt repræhenſione, qui in alvo apprimè conſtipata, in dolore colico à duro ſtercore prodeunte, illico acribus clyſteribus utuntur, aliaſque calidas ad manus habent fomentationes, quæ magis exſiccant, ac magis conſtipant. Qua de re Sanctorius de Sanctoriis in coment: art: Med: Gal:, dicit à doloribus colicis, ortis à fæcibus induratis multos liberaſſe illis exhibendo oncias xxx. ol: amigdal: dul. termino 24. horarum, quo exemplo, Auctoriſque documento excitatus, conductoris cujuſdam colica ab excrementis induratis laborantis curationem aggreſſus, cataplaſmate emoll:, ſemicupio aquæ dulcis, clyſteribus humectantibus, ac tandem oleo amigdal: dulcium fermè ad onc: 24. una die exhibito, feliciter mihi illum ſervare contingit, cujus alvus tam copiosè ſoluta fuit, ut exinde opiatis coerceri debuerit.

L I I.

Aſtma particulare:

VEhementer illectus, ut pro tenuitate ingenii mei, & artis obſervatione idoneis accomodatiſque remediis aſtmati cuidam veteri opitularer, curationem ſuſcepi cujuſdam ſutoris, qui reſpirare minime poterat niſi erecta cervice, & ſedens in lecto. Prima fronte affectionem pulmonarem à craſſa, & lenta materia bronchia infarciente equè conjecturare credideram, re tamen altiùs in trutina poſita, expiatis viſceribus naturalibus, cum morbi primordiis, fortè dubitavi de aſtmate ſympatico ſtomaci vitio producto, cruditates enim enormes erant, flatus copioſi acorem redolentes, duritics

ritiés ſub ventriculo, & quod ingerebatur pro nutritione paulò poſt tuſſiendo, vel ſcreando ſenſim eructabatur. Vetus jam aſtma erat, aliàs inaniter tractatum; Morbum extremum extremis quoque remediis, juxta aſſertum Hipp: aggrediendum decrevi; Præſcripto propterea prima die, tartaro emetico ad gr. vi., parum aut nihil dejecit, in nocte ol: amigdal: dul: exhibui, & mane ſubſequenti illud idem emeticum iteravi, à quibus vomitio levis, & duæ ſedes vix apparuerunt. Aſtma hoc interim nec ſuccreſcebat, nec decreſcebat; continuato propterea oleo amigdal: nocte, noviter die tertia tart: emet: exhibui, ſed nil præter lymphaticum quoddam ſurſum erupit. Qua re obſervata, conſtantibus ſatis bene viribus ægri, nulla interpoſita mora, iterum mane diei ſequentis, quarta ſcilicet die ab inita curatione, Mercurium vitæ ad gr. iiij. (facta in vino infuſione) præbui: Quiſquis videt me ingenuam deſcribere hyſtoriam, (cujus morbi curatio nimis rationalis non fuit) Ab hoc ultimo emetico correptus fuit adeo vehementi vomitu, ut ſuffocari videretur, evulſa quædam materies à ſtomaco ita compacta in ore apparuit, quæ à gutture diſtricari minime poterat, adeo ut ſtrangulatorum more, cum ſe ſuffocare ſentiret, de repente à lecto proſiliens, exceptus ab aſſidentibus, qui obſervatam rem illam informem hiante in ore Patientis, vi extraxerunt, ac in terram, non ſine terrore, projecerunt, ac ſervaverunt, quæ examinata inſimulabat calcei ſoleam veram, & realem; Evaleſcente paulò poſt infirmo tandem melius ſe habuit: Verum ad reliquias tollendas, illum ad ſequentis hydromelitis uſum adduxi ℞: vin: alb:, hydromel: perfect: aā: lib. i. enul: campan:, polipod: querc: inciſ: aā: onc: ij. ſinantur omnia ſimul per 24 hor: loco calido, dein colentur onciæ vi. ſingulo mane ſumendæ, continuato remedio & noviter facta deorſum purgatione, convaluit; N. B., ex depravatis eduliis acida, & tenax materies adeo obduruit in ventriculo, ut pars ejus maxima caſei duriſſimi conſiſtentiam obtinuerit, quæ diaphragma, & pulmones contrahens ſympaticam ortophneam effecerat, ac figura in ſtomaci cavitate adepta ſoleam calcei præſeferebat. Morbus magnus audacem me fecit, & ni ſutor fuiſſet, minime evaſiſſet.

L I I I.

Septem Morborum ſporadicorum deſcriptio, atque curatio.

COncubia nocte, cum ſollicitudinibus & curis, mente ſopita, in lectulo, ruri jacerem, viſus ſum mihi ad me venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, ſqualidum barba, & capillo demiſſo, interrogatumque quinam eſſet, reſpondiſſe, agreſtem Bergomatem. Perterritus tam tetro viſu, ſciſcitabar quid novi illud eſſet, ac flagitaſſet. Quia epidemico, ſeu potius ſporadico morbo ejus familia vexabatur, ad me veniſſe, dixit, ut ad reparandas ruinas, quas Pandora crudelis illam in familiam intulerat, confeſtim accurrerem. Fugato ſomno, lumen introferri juſſi, atque citius, quam & res ipſa poſcebat, Gallorum more indutus, una cum illo, excidii domum adivi, ſeptemque incolarum diverſimodè laborantium curationem ſuſcepi. Illorum unus peripneumonia, alter angina duo pleuritide, unus febre pettechiali cum parotydibus, cæteri duo febre acuta maligna, torquebantur, nec ullum erat exitiale ſymptoma quod illis ſingulatim non coniungeretur: Dolores capitis, vigiliæ, deliria, ſopores, ſitis inquietudines, fluxus alvi, ſudores ſymptomatici, maculæ nigræ per totum, ſigna diagnoſtica erant manifeſtæ malignitatis. Ab auſtera nimis tempeſtate (pars enim anni frigidiſſima vigebat inter Autumnum, & Ver), & à pravis humoribus morbos illos productos exiſtimavi, quibus juxtà particularem uniuſcujuſque diſpoſitionem, diverſimodè, unuſquiſque conflictabatur: Pleuritidem, peripneumoniam, anginam, ab una, eademque cauſa enatas credidi, ſcilicet per acidam ſanguinis diatheſim, illum ad ſtagnationem diſponentem, qui data occaſione frigoris externè captati, atque rigidiſſimi aeris inſpirati, in faucibus, pleura, medietate pulmonum, ſive in tota pulmonum ſubſtantia reſtitavit, & inflammationem concepit. Febres acutas malignas pettechiales cum, & ſine parotidibus à diverſa etherogenearum particularum textura, miſcela, atque malitia, indolis vel narcoticæ, opii more ſpiritus & ſanguinem figentis, vel ferocientis naturæ, ritù morſus

canis rabidi, illum plus debito rarefacientis, conſpirante in hunc effectum nitroſa nimis aeris conſtitutione, cujus particulæ ſtipticæ, & acidiores per inſpirationem hauſtæ, & ſanguini commixtæ, illum ad coagulationem diſponere potuerunt, vel acriori ſale volatili præditæ & illum fundere valuerunt. Quidquid ſit, tot ſunt cauſæ febrium acutarum & malignarum, quot ſunt quæ circulationem in ſanguine, impetu & læſione naturalis economiæ adaugere poſſunt, continuatque illa præternaturalis fermentatio donec id quod vitioſum eſt, atque naturæ inimicum, continua fermentatione ſubigatur, & à ſanguine eliminetur, vel donec à nimis violenta, ſeu longa deflagratione, liquor ſanguinis ſpirituum fiat expers, atque ſub jugum miſſus, impotens excerni per vaſa, in viſceribus ſequeſtretur, ubi moram contrahens, quod abſceſſum ſubeat, neceſſe eſt, à quo abolita viſcerum facultate, deſficit & æger. Symptomatum cauſas quiſque vitium in ſanguine, labem in ſpiritibus, qualitatem deleteriam in toto ſtudiosè perpendens, ſatis ervere poterit, nec penſum meum prætereo, qui ſomniantis, non Philoſophi vicem gero.

Inflammationes ſupra enarratæ (quæ in genere tripliciter reſolvuntur, per reaſſumptionem materiæ, vel per translationem ejuſdem materiæ in aliam partem, vel per rupturam abſceſſus) ſublatæ fuerunt ſanguinis miſſionibus, cucurbitulis, diſſolventibus, ac diaphoreticis. In ſpecie verò, angina, ubi tanta erat inflammatio, & faucium conſtrictio, ut neque gutta aquæ deglutiri poſſet propter magnum apoſtema quod nullis diſſolvebatur remediis, tandem uſu lactis muliebris in quo extincti fuerant igniti lapides qui reperiuntur in fornacibus vitreis, curata fuit; quo remedii genere alias deſperatas anginas ſanatas compertum habeo, ruptoque abſceſſu purulenta materies affluenter excernebatur. In ſpecie pariter pleuritidis, proficiſcente illorum unus ad mortem, tandem emplaſtro ex ſaponis Veneti onc: vi., butyri rancidi onc: iij: ad ignem miſtis, calidiſſimè applicato, facta exindè copioſa expectoratione, convaluit; Cumque lateris dolor etiam poſt febrem pertinax ſub coſtis inhæreſſet, cucurbitula ſupra locum affectum ſcarificata, & oleo ceræ ſublatus fuit. Febricitantibus febre pettechiali, juxta ſymptomatum ferociam occurrebatur, in ſpecie diaphoreticis, in quem finem egregiè conduxit mixtura ex confect: Hyacint:, alcher: aã: drach: i. ſtibii diaphoret: rec: fixat: C. C. philoſoph:, bezoar: occid:, pul: contrerb:, rad: valerian: aã: drach: ÷ aq: theriacal:, P: S. onc. I., aquæ card: B:, ſcorſoner: aã: onc: iiij:, julep: de contrerba recent:

recent: parati one. ÷ ſpirit: ſal: armoniac: dul: gut: x., cujus 4. coclearia ſingulas poſt 4. horas offerebantur, ubi diarrhea ſymptomatica erat, pul: pannonicus rub: immiſcebatur, & vini generoſi fæces ventri ſubnectebantur. Ubi vigiliæ, capitis dolores, Julap: ſomniferum *della Prencipeſſa*, atque decoctum album Sydenham ex limat: C. C. cum mica panis albi, addit: fol: cichor:, endiv., & borragin:, quæque in die de novo emergebant, nova indicatione, ac novis ſubſidiis ſuccurrebantur, donec perfectè ſanitati illorum quinque fuerant reſtituti; Cæteri autem duo, quorum uni parotides retrò aures, alteri Empyema in cavitate pectoris ſupervenere, ſequenti methodo incolumes evaſerunt.

LIV.

Parotydum Curatio.

ERumpentes parotydes in feb: malignis, ſi criticæ ſunt, emolliendæ, & maturandæ ol: amigdal: dul:, lilior: alb: adipe gallinæ, & butiro, ſive emplaſtro ex malva, parietaria, rad: altheæ, cum croco, & pane in lacte coctis, addito ovi vitello, ut materies ſuppuretur, & ſpontè diſrumpatur abſceſſus. Quum verò ſymptomaticæ ſint, ac lentè nimis confluat materies, eaque dura, & periculum ſit ſuffocationis (ut in noſtro caſu) facta prius derivatione humorum per reiteratas cucurbitulas, veſſicantia, frictiones; Sanguinem quoque à ſalvatella, Riverii documento, extrahendum volui, & abſceſſum immaturum per inciſionem diſrumpendum mandavi, quo facto, ac per prudentis Chirurgi diligentiam evocata materia, ſanus, & ille evaſit.

LV.

Empyematis Curatio.

COmmuni abuſu, Empyema pro puris collectione in cavitate thoracis examinandum ego quoque aggredior, neque illud quod

per defluxionem materiæ à capite juxta Gal: neque aliud per effuſſionem ſanguinis in thoracem juxta Hippocratem, ſed quod pleuritidem, vel peripneumoniam ſubſequitur hoc in loco conſiderandum volo; Ubi rupto abſceſſu pus in cavitatem thoracis effunditur, & ſi 40. dierum ſpatio non repurgatur, tabem, & mortem minatur; Quod periculum, illorum ſeptimus ſubivit peripneumonia detentus, qui non repurgatus in 14., empycus evaſit. Morbo propterea periculi pleno, ut proſpicerem, cataplaſma ex pomis ſub cineribus coctis, & oleo roſat., Camomill:, violat: lilior: alb:, crocaceo, cum adipe gallinæ applicandum volui. Decoct. pectorale ex flor: hyperic:, eder: terreſt:, cum gut: ij: balſam: Perù, & ſcrup: i. ſtirac: liquid: exhibendum mandavi. Decocto exinde ſequenti, curatione abſoluta, evaſit, & illorum ſeptimus. R. rad: cannæ mont: onc: ij., chinæ el: onc: i. ÷ lig: lentiſci ſantal: rub: aã: onc: i. in 5. q. aq: papav: rhead: & hordei infund:, & bull: 5. a: addendo fol: veronicæ, heder: tereſt: teucrii aã M. 1., colatura edulcoretur cum 5. q. ſaccari penidiati, doſis ad onc: VI. continuando per longum tempus.

L V I.

De Doloribus.

UT omnes quoque in ſomnio proditas animadverſiones referam, earum nonnullas breviter conſcriptas, de doloribus, de podagra, de inflammationibus, & de pallido colore ſubnectam, quas Præclaro, atque Amico Doct. Caletto, nuper à ſomnio meo ervere placuit. Ut à doloribus exordium ſumam, dico cum Etmullerio, quod *ſicuti nihil magis præternaturam eſt, quam dolor, ſic Medicus dolorum ſubitanea ſublevatione famam ſibi facilè parere poteſt*. Dolor igitur ut ſymptoma nullam indiget curationem, propterea perquirendum quomodo poſſit per curationem auferri: Tripliciter à Gal: ipſis quoque ſymptomatis curationem convenire poſſe ſtatuitur, ſcilicet vel quando morbum augent, vel quando per ipſa vires læduntur, atque proſternuntur vel quando ſymptomata obtinent rationem cauſæ; Trifariàm quoque auferri conſueverunt, ſcilicet ſtupefacientibus, anodinis, & ijs, quæ doloris cauſam reſpiciunt: Stupefacientia non niſi ſummo urgente dolore adhibenda ſunt, quia ſæpenumero

mor-

morbum potius augent, quam minuant; Anodina, quæ nihil aliud agunt præter aliqualem doloris mitigationem; quum occaſio non eſt præceps, ſunt in uſum ducenda, quæ viam ſternere ſolent evacuationi humorum. Poſtremæ indicationi incumbendum quando periculum non eſt in mora, ut cauſa efficiens dolorem quæ præcipuè ad veram curationem pertinet auferatur; *Tolle ſpinam, & curabis vulnus* clamat Van-Helmontius: Cauſam itidem proximam, & immediatam doloris placuit Gal: Medico & Philoſopho in bifariam dividere, ſcilicet in alterationem, & ſolutionem continui, quæ alibi ſub unica continui ſolutione ab ipſo Gal: Medico reducitur. Quidquid ſit, dummodo continui ſolutio reducatur etiam ad partium convulſivam divulſionem, ſive extenſivam contractionem parum intereſt, neque in Logica ſubtilitate cum Argenterio immorabor, an dolor ſit triſtis ſenſatio, ſeu triſtitia, quæ ſenſum comitetur; Hæc ſint ſatis pro cautione, quam tibi de doloribus tradere poſſum; Pergo ad ſecundum;

LVII.

De Podagra reſponſum in ſomnio.

CAvendum ne æger ad unam duarum rerum perducatur ſcilicet ad cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditates: Hoc Avicennæ præceptum, ocularem me facit in quocumque morbo curando, ſed præcipue in tractanda Podagra; Propterea triplicem Podagræ ſtatum ſemper in mente revolvo, quoties ad Podagricum accedo, vel enim ſpiritus criticè, & conformiter ad articulos expellunt materiam podagricam, ubi ſpectatoris vicem gero, vel ſpiritus in enormonticam expanſionem deducti dolores furibundos excitant, ubi moderator adſum, frænumque illis inicio; Vel ſpiritus ſegnes, & copia minores aut effæti materiam podagricam nequeunt expellere, ubi reſtauratorem eſſe volo, & naturam duco, debita tamen cautela, ad ſuum officium; Ideoque pro diverſa furentis podagræ conditione, diverſam ſemper habeo ante oculos cautionem, & diverſa adhibeo alterantia, quod cuilibet medenti ſemper eſt cordi habendum. In furore ſpirituum effero ea adhibenda, quæ frenum iniciunt, ſi critica expulſio minus regulariter procedit, notandum an

a defectu ſpirituum, an à ſanguinis viſcoſa qualitate hoc eveniat; ubi vel ſpiritus exſuſcitare, & in elaterem redigere, vel ſanguinem à lentore liberare, & materiam ad articulos promovere opus eſt; Quando verò criſim optimè molitur natura, neque nimis elaſtico, neque nimis tardo motu, ſed conformiter, nihil tentandum, neque agitanda ſanguinis craſis; Omnem podagram conſidero ut ſymptoma, ideo ſymptomaticas indicationes deſſumendas judico, ſcilicet mitigatorias; Pergo ad tertium.

LVIII.

De Inflammationibus in genere reſponſum ut ſupra.

F*Laentes humores, primùm venas occupare ma: deinde ad minores tum ad minimas, ac poſtremo ad inania ſpatia pervenire* aſſerit Gal: de ortu inflammationis, cujus nomen tripliciter accipitur, vel pro omni inſigni caliditate, & fervore, ſine ullo tumore præternaturam, vel pro calidis quibuſcumque tumoribus à quibuſcumque humoribus originem habentibus, vel modo magis ſtricto pro tumore præternaturam à ſolo ſanguine excitato. Inflammationem hoc loco non pro ſimplici fervore accipiendam volo, neque pro uno tumore à ſanguine excitato, ſed tanquam commune genus, quod omnes calidos tumores complectatur, etiamſi ab humoribus vulgo frigidis, & per accidens caliditatem adeptos; Sanguis enim, in motu ſuo impeditus, in vaſis capilaribus venoſis, & partium ſpatiolis hæret, & ſtagnat, quod diverſimodè contingit, unde collectus mox excandeſcit, & caloris ſenſum moleſtum in ſenſibili parte producit, donec ſenſim corruptus in pus, vel ſaniem abeat; Prior mutatio vocatur inflammatio, poſterior abſceſſus; Refluxus ergo ſanguinis quicumque impeditus neceſſariò eſt ut coacervetur, & coacervatus, quod tumores faciat, qui vocantur inflammationes, dictus tamen refluxus impeditus, ſive dicta ſtagnatio ſtricto modo non eſt ſumenda hoc in loco, ſed tantum ſecundum partem, alioquin gangrenæ diſcurſus eſſet. Neque inflammationes uno ſemper in ſtatu conſiderandæ ſunt, ſed alia eſt depromenda indicatio in principio, alia in augmento, & in ſtatu

alia,

alia, diverſiſque illis occurrendum præſidiis. Hiſce & aliis cautionibus accinctus procedo, quoties tractare debeo internas inflammationes (Exemplum ſit de pleuritide vel peripneumonia) ubi in principio, quantum poſſibile eſt, per iteratas ſanguinis miſſiones humor inflammatorius diſcutiendus, vel circulo reſtituendus, tranſacto principio, vitanda venarum apertio, ne per ipſam infringantur vires, & antequam diſrumpatur abſceſſus, pereat infirmus. Theſaurum vitæ in ſanguine reconditum conſidera, purgationeſque quantumlibet leves fuge. Pergo ad quartum.

LIX.

An pallidus color ſemper ſit malus, ubi innuitur cur oculi primò afficiantur in morbis, & quomodo colores morborum naturam indicent, reſponſum ut ſupra.

ÆQuavi tandem nocti ſtudium, ac poſtquam plus ferme diligentiæ quam oporteret adhibuerim, cauſam quam quæris enucleando, cur Nazianzenus dixerit *pallorem pulchrum ſublimium Virorum florem* illum methaphorice locutum mihi aperuit ratio, & fortaſſe vel quia Saturnus profundiſſimarum opinionum Pater Hippocratica in facie ſemiextinctum lumen gerit, vel quia diſtillato vegetioris ſanguinis flore in intellectus operibus, frons inde exanguis, & diſcolor remanet, ſeu quia prout uniuſcujuſque temperamenti analogia ſanguinis craſim variat. Contrarium ſuadere videntur Hipp., & Gal. de morb: vulg: dicentes, oculi ut valent, ita & totum corpus: Colores non ſunt cutis ſed humorum. Qua de re Sanctorius

ctorius methodo vitandorum errorum dicit quod quemadmodum, humorum ſapores unicè declarare poſſunt, qui ſint illi humores, qui peccant, & prædominantur in corpore, ita varias humorum ſpecies prædominari colligi poſſe ex coloribus excrementorum, & humorum ſub cute immediatè exiſtentium, dixitque immediate ſub cute exiſtentium, quia faciei & aliarum partium colores non videntur poſſe indicare humores altas partes inſidentes, ex ſolo enim oculorum colore id aſſequi poteſt, à quibus pervenitur in cognitionem internæ valetudinis, quia propter eorum munditiem atque nitorem, celerius quam in aliis partibus coloris mutatio fit. Hoc totum delineaſſe videtur Clariſſ. Gaſſend. dicendo quod omne viſibile aut corpus lucidum eſt, aut à luce illuſtratum, illud luce propria, & per radios directos, hoc aliena, & per radios reflexos cernitur, medium vero pure perſpicuum non videtur quia radios proprios non emittit, nec ob tenuitatem alienos reflectit: notatque de corpore lucido, quod hoc clarè, & ſine impedimento quovis affulgens ſub ſpecie candicantiæ apparet, qua re lux in ſuo fonte eſt color candicans, quod verò alterat candorem illius, nihil aliud eſt quam facta in radiis umbrarum ſive tenebrarum intermiſtio, hoc autem fit, vel propter corpuſcula in medio interjecta, quæ radios quoſdam avertunt, ita Sol in horizonte propter vapores, qui plures radios intercipiunt, rubicundus videtur, vel lucidi candor degenerat propter particulas non lucidas intra corpus ejus, & cum ipſis radiis interſperſas, ita cum fuligo, & fumus cum lumine accenſo emanant, lux rubicundior & obfuſca evadit; Prout igitur ipſa cutis diverſos ſuſcipit humores, diverſimode etiam lucem determinat, atque variatur ratio formalis coloris. Multifariam autem id evenire poſſe aſſerit Sanctorius loco citato, ſcilicet vel cum cutis album aquirit colorem, qui pituitam indicat, vel cum rubrum qui ſanguinem & bilem rubram, vel cum pallidum qui bilem pallidam, vel cum flavum qui bilem citrinam, vel cum vitellinum qui bilem vitellinam, vel cum porraceam qui porraceam bilem, vel cum æruginoſum qui praſſinam bilem, vel cum cæruleum, qui iſatidem bilem, vel cum nigrum turbidum qui melancholiam ſeu ſanguinis fæcem, vel cum nigrum ſplendidum qui atram bilem, quorum modi fiendi ratio ab ipſo quoque Sanctorio ervi poteſt. Quomodocunque igitur conſideretur pallidus color, ſemper eſt malus, nam vel immediatam labem ſub cute latentem, aut altam in corpore noxam præſagit. Exemplum ſit de chloroſi ſive pallido

Vir-

Virginum colore, quem Mortonus dicit eſſe ſpeciem particularem ſcorbuti, totumque illius curationis cardinem ſupra labem ſcorbuticam ædificandum aſſerit, quod menti quoque tibi habendum vellem.

L X.

Dyſenteriæ ac Scorbuti Militum ſomniata cauſa.

FEſſum laboribus corripuerat me placidiſſima quies ante prandium una die, cum tecum eſſe, Mecænas Ornatiſſime, mihi videbar; intuebarque ut aſſoles, tam diſerte, & erudite varia loquentem, cum in tua Majeſtate non minus quam verbis hærentem, me tibi placuit ex improviſo interrogare, cur tot Milites in Quarteriis Dyſenteria & Scorbuto laborent ac pereant. Cui reſponſum ſpectanti, juxta tenuitatem ingenii mei, earundem ægritudinum cauſas taliter enodaſſe recordor. Dyſenteriam à pane, ſcorbutum à lecto fortè enatos timeo. Explico me Dyſenteria *oder die rothe ruhr*, ſcilicet fluxus frequentes dolorificos, & (ut verbis Lucæ Tozzi utar) variegatos, nunc aquoſos, nunc cruentos, probabile eſt procedere à ſucco biliario, & pancreatico, vel per ſe vitioſis vel in tenuia inteſtina confluentibus ibique inconvenienter comiſtis, atque indebite fermenteſcentibus, adeoque pruritantibus ad ſui depoſitionem inteſtina, quæ ſive ab exceſſu bilis acrioris, ſive à copia ſucci pancreatici acidioris redditi, nedum ſemetipſos depravent, chylumque pertranſeuntem vitient, ſed & alios quoque humores illuc delatos, quin etiam alimentum, & quidquid ſponte, vel adigente natura eo loci deducitur, corrumpant, mucum inteſtinorum, & glandulas emungant, atque abradant, cruorem eliciant, & ſubſtantiam eorumdem erodant, cum doloribus lancinantibus, & torminibus ferociſſimis, unde fit ut perſæpe abſceſſus, & inflammationes viſcerum naturalium imedicabiles oriantur. Conſueverunt potiſſimum humores iſti vitiari à pane nigro qui facillimè corrumpitur, & fermentationem immoderatè promovet, neque ſemel tantum, ſed pluries (ut creden-

dum

dum Senerto) morbos epidemicos atque peſtilentiales à pane male fermentato vel etherogeneis mixturis ſubacto, enatos legimus.

Dum ad ſecundum tranſeo, mihi in mentem venit præclaris hyſtoria à Tacito ann. lib. 3., relata, de illa famoſa venefica Martina, cujus opera Germanicus peremptus eſt, Brundufii extincta, ſubita morte, ob venenum nodo crinium ejus occultatum, nullis in corpore ſignis ſumpti veneni apparentibus. In nodo inquam crinium miſerorum Militum ſtat ſumma perniciei: ſcilicet ſcorbutica eorum ſanguinis diſcraſia, ſeu ſcorbuti hæc peſtifera labes ſalino ſulphurea aut ſulphureo ſalina ut plurimum contingit à cauſa extrinſeca, quæ tandem ſucco nerveo, & ſanguini impreſſa illos de medio tollit, contingit videlicet hæc peſtifera labes ut plurimum ob decubitum in lectis ſola vetuſtate prætioſis, à quibus (per metipſum decubitum excalefactis cænoſis lodiculis, & anaclinteriis, tot diverſæ indolis & morbidarum naturarum pondere gravatis) elevantur miaſmata valetudinaria, atque infecta, quæ (more veneni in nodo crinium Martinæ) per inſpirationem hauſta, viſcera prætereundo, ſanguinem & lympham vitiant alterant, ac depravant, ut miſerabiles exinde per inſenſibilis contagionis ſpeciem infici, ac interire cogantur. Quid autem de curatione ſentiam jam vides: Per axioma philoſophicum non removetur effectus quin prius tollatur cauſa. Panem igitur album, vel nummos ad illum emendum pro uniuſcuiuſque arbitrio Militibus elargirer, lectumq; ſingulo ferme anno noviter & ſincerè conficiendum mandarem.

L X I.

Hectica deplorata: Morituri non ſunt præſidiis deſerendi: Mulieres cur duriores ſortis impetus ſuſtineant.

MAgnas mihi, nomine totius Muliebris ſexus, venit agere gratias Mulier quædam claudicans cum in illarum Principatum ſupra hominum vitam oſtendendo nuper me ſatis elaboraſſe pro-

be

be noſſet, ac iterum interrogatione facta, cur Mulieres, duriores ſortis impetus ſuſtineant, reſpondi, maſculos & fæminas tenuiſſimis in capite præditas eſſe membranis, quæ pia, & dura Mater à Medicis appellantur, non in utriſque tamen eſſe tales, cum experientia compertum habeam in Viris quidem duram, & inimicam, in Mulieribus ſolummodo piam (& fortaſſis aliam in utero) reperiri, ut illas, etſi morbis durioribus obnoxias, mori non ſinat. Paulò poſt, quam ſtudioſiſſime me obſecravit, ut ad Mulierem in tertio hecticæ gradu conſtitutam accurrerem, opemque porrigerem. Supina decumbens, prono capite, ſubſtantia corporis fibroſa & membranoſa conſumpta, oſſibus pelle tantum circumtectis, tuſſi continua, febre habituali, oculis concavis, ſputo purulento, pulſu duro & frequenti, univerſoque corpore arido, unguibus incurvatis, voce penitus intercepta, perpetuò vigilans lectulo illa jacebat, ac ultimum tradere ſpiritum videbatur. Nauſea quadam incæpi ejus pulſum explorare, ſed cum Areteus & Hipp: piè ad modum præcipiant morituros non eſſe præſidiis rationi conſentientibus deſerendos, humanitatis munere ductus, ac Claudæ venuſtate devinctus, aliquid ſi non ad ſalutem, ſaltem ad ſublevamen præſcribendum duxi, & primo gelatinam Cor: Cervi, nec non copioſa diluentia, atq; emulſiones ex amigdal: dul: & ſeminibus melonum ad libitum ſumendas præſcripſi. Quia verò ſingultus moleſtiſſimus coniungebatur, pulverem Corn: Ce:: uſti ad ſcrupul: unum, cum gr: iii. Caſtorei mane & veſpere exhibendum volui, quo ſingultus maxime convulſivus cedere ſolet. Methodo per dies 5. continuata, parum reſipiſcere cæpit miſerabilis ægra. Subſidio exinde urgentioribus ſymptomatis porrecto, videlicet, Spermate Cæti cum ſaccaro candito, mane, ad pectus obleniendum, ac materiam à bronchiis promovendam: Pilulis de cynagloſſo, nocte, cum Mumia animali vera, & pul: margaritarum, ut tuſſis & vigiliæ nocturnæ arcerentur: Dehinc antiectico Poterii cum pul: itidem margaritarum atque corallorum, ad longum tempus continuato, non omiſſis potionibus, nec gelatinis ut ſupra commiſſis, tandem, in lecto decumbere, tuſſi diminuta, calore remiſſo, ac ſomno indulgere potuit ægra: Sciens propterea Hipp: multos morti etiam proximos curaſſe, & nonnullas Mulieres pro mortuis habitas, ac ſepulturæ deſtinatas, revixiſſe, placuit mihi ultro progredi, ac ea proponere præſidia, quæ tum cauſæ, tum ſymptomatis adverſarentur, in quam rem diſtillatum præſcripſi, ex ſeri lact: dep: lib: vi:, ſucci dep. ederæ terr. lib. ii., ſuc. ſcabioſ. lib. I. fol. Capiluen. m. ii. flor.

papav. rub. P: ij., ſemin 4. frigid. ma: onc: iij limat: Cor: Cer: onc: i. ÷, granor: Kermes onc: ÷ diſtill: B. M., continuandum per 30. dies ad onc: vi. mane, & veſp:, cum teſtaceis abſorbentibus. Hoc interim fluere cæperunt Muliebria (quæ ſex ab hinc menſibus deſierant) omniaque ſymptomata apertè remiſſerunt. Integræ illius ſalutis argumento adductus medicamen ſubſtantificum præſcripſi ℞. rad: chinæ electæ & pul:, drac. ij., Kinæ Kinæ drach: i. aquæ fontis onc: vi:, vix bulliant invicem donec diſſolvantur, tum adde juris pedum vituli cum ranis parat vi., bull. iterum ſimul, poſtremò miſce omnia ſimul cum conſ. roſar. rub: oncia dimidia, ac præbeatur mane, & veſp: per 40. dies, quo tempore alvus (pro ut opus) ſolvebatur beneficio drach: duarum caſiæ cum ſal: prunelæ ſcrupol: uno, methodo ad unguem ſervata, nec omiſſa exacta victus humidi regula, omninò, Dei potius, quam Medici auxilio, convaluit hilariſque ac valida ſe gerit anno fermè jam nono à ſupradictis.

LXII.

Manià ab impuro amore.

BLandum malum luxuria, quam juxta ſenſum Val. Max. cap. 1. lib. 9., accuſare, aliquanto facilius eſt, quam vitare, operi noſtro inſeratur, non quidem, ut ullum honorem recipiat, ſed ut ſe ipſam recognoſcens ad pœnitentiam impelli poſſit. Non de Catilinæ ſceleſta libidine, ac veſano amore Aureliæ Oreſtillæ corrupti, ſed cujuſdam Oreſtillæ impuri amoris erga Catilinam quemdam, ſermonem aſſumo. Cum unum, & maximum impedimentum videret, quo minus inter ſe nuptiis jungi poſſent, nec abditè oblectari, in delirium lapſa eſt, veneno ſe interficere tentans, veſtimenta ſcindens, vaſa fictilia, atque pretioſa ornamenta à feneſtris projiciens, omneſque in parentes, atque amicos, furore, verbis, ac minis irruens, ſolum amaſium conſtanter invocans. Oreſtillam repræhendere, ac emendare, nec non jejunio caſtigare tentavit pia parentum ſedulitas, ſed fruſtra. Tenuitati ingenii mei, illa commiſſa, pro artis obſervatione, tandem mentis, & corporis ſanitati reſtituta eſt. Primò emeticis doloſè in potu cocolatæ miſtis ordinem curationis

rationis aggreſſus ſum, quibus, etiamſi excandeſcentiam majorem ad tempus in ſanguine cieant, ſequebatur exinde ſpirituum depreſſio. Ter igitur 15. dierum ſpatio Mercurium vitæ ad gr: iiij. propinavi, tali cautione, ut nocte, ejuſdem, à vomitione diei ſumeret laudani opiati gr. iij., camphoræ gr. ij. confect. hyacint. ſcrupul. unum, quæ mixtura diebus à vomitione vacuis, ut plurimum alternatim porrigebatur in ordinaria cocolata abſque vanilia parata, vel in coffe, cum nihil ſub pharmaci ſpecie ingerere vellet. Illis itidem diebus à vomitu vacuis porrigendum mandabam lapidem lazuli ad gr. x. cum bezoart. lunaris gr. vj. ſal. Saturni, ſal. Jovis aā. gr. xij., atq; quinquies ſanguinem extrahendum volui. In paſtu, vino immiſcebatur aqua ſpermatis ranarum, atq; piſces, ranæ, caro vituli, herbæ recentes & conſimilia ſuccum mucilaginoſum habentia offerrebantur. Fronti ſuccus cancrorum cum petiis perſæpe annectebatur, atque tandem admoto emplaſtro Hyſterico Minſich ſupra regionem umbelicalem, curatio abſoluta eſt.

LXIII.

Somnambuli hyſtoria, & curatio.

Mira res, & plane ridicula quod dormientes inſcii è lecto ſurgere, deambulare, ac omnium vigilantium munera exercere valeant; Nec ſatis percipere poſſum quomodo naturaliter id peragi poſſit, maxime cum ſomnambulos multa peragere videam, quæ vigilando perficere nequeunt, præcipitijs ſine damno ſe committunt, quaſi impoſſibilia aggrediuntur, & perficiunt, qui tamen à ſomno excitati non recordantur, abhorreſcunt, & timent. Nulla ſiquidem inter dormientes, & vigilantes diſtinctio videtur, cum omnia, immò plura peragant dormientes quam vigilantes, etſi quæ adducenda eſt, ratio non aliunde deſſumenda eſt quam ex ipſis ſpeciebus impreſſis, quæ licet confundantur à vaporibus, quandoque in phantaſia copulantur homogeneæ, & ſic tranſeunt in actionem, quæ naturalis, & reflexiva videtur: Nec ullam aliam adducere poſſum rationem cur quidam Miles, nunc ſæpius nunc rarius, æſtatis tempore, horis nocturnis, in ſomnio, lecto egreſſus, puteum peteret, ac deſcenderet nullo alio adminiculo quam manus & pedes ac

ſe ſe hinc inde juxta parietem jactando, ubi hauſta volæ manus beneficio aqua, ſenſim egriedebatur: Ætatem adhuc 38 annorum non libaverat, temperamenti melanchonici, qui experrectus omnia pericula formidabat. Illius curationem aggreſſus, emeticis, hirudinibus V.S:, decocto cæphalico cum lignis, Veſicatorio Minſich ad mentis alienationem, ac tandem patiente vinculis alligato & inopinanter in puteum demiſſo, illam abſolvere ſatis mihi commodum fuit; & fortaſſe ob mutatam ſanguinis & ſpirituum texturam, tam remediorum auxilio, quam ſuffocationis metu, quam timuit in vigilia, ultrò in ſomnio undam ambire minimè potuit.

L X I I I I.

Abortus.

COnceptus fætus in utero duplici de cauſa non retinetur ad abſolutum geſtationis, & partus tempus, ſcilicet propter fibrarum tonum, vel nimis relaxatum, vel convulſivè conſtrictum: Diverſimodè contingere dictam uteri vitiatam ſtructuram, ac principaliter ob ſanguinem, copia, vel qualitate peccantem eam obvenire Veteres, & Recentiores ſatis ſuperque probant, quo fit ut dum idem in vaſis redundat, à fermento menſtruo exagitetur, aut præ ſui copia vaſa facile in utero reſerret, & menſtruum fluxum promoveat, ſicque adhærens per placentam fætus facilius divellatur, & decidat. Multorum Auctorum hujus rei extant exempla, quæ placet & mihi confirmare ſequenti habito in quadam Nob: Muliere, quæ abortire conſueviſſet niſi ſingulis ferè menſibus illius venam ſeccare mandaſſem; Hæc præclaris Domina quinque conceptionibus fruſtratis, ut plurimum inter quartum, & quintum menſem ſuſpirata prole gaudere minimè poterat: Implorato meo auxilio, ut illam à diſcrimine vitæ, quod incurrebat, dirimerem, & fætuum jacturis occurrerem, cauſam per conjecturas divellens, à pletora emanare arbitratus ſum: præmiſſa idcircò (pro ut opus) conſerva ex caſia vel pul: Catolico, ſanguinem ex Salvatella ſecundo geſtactionis menſe ad onc. 4. extrahendum volui, ac ſingulo menſe per ſectionem ſalvatellæ eamdem ſanguinis eventilationem, incluſivè uſque ad octaum, faciendam mandavi, applicatoque cerato de pelle harietina ſupra renes, & ſupra vaſa umbellicalia,

ſicalia, conceptum exinde ſuſtulit, naturaliter peperit, ediditque in lucem infantulam bene ſe habentem: Continuato ſupradictæ miſſionis ſanguinis ordine tuebatur ab abortu, omiſſa dicta evacuatione, cum tædio affecta eſſet mulier, tùm ob timorem alterius damni propter ſanguinis jacturam, iterum in abortum incidit, ideo adhuc de præſenti, conceptione vix detecta, ordinario auxilio conceptum ſervare conſuevit,

L X V.

Tres ſunt in morbis indicationes, quarum quælibet diverſis indiget auxiliis: In Morbis levibus non fidendum.

Febris Tertianæ commutatæ in malignam cum delirio, fluxu hepatico, lienteria, tuſſi, ſanguinis ſputo, tabe, exemplum atque curatio.

INculpantur non rarò levitate Medici, ſi multa & aliquando oppoſita in morborum curationibus ad manus habent auxilia. Neſcit autem ignavum vulgus eam eſſe Ægrotantium miſeriam, ut poſt initium ſimpliciſſimi morbi, ſtatim alius affinis, & poſt illum alii plures etiam oppoſiti brevi ſpatio inſurgant ut finis unius mali gradus ſit futuri; Plurimæ propterea in qualibet ægritudine offeruntur prudenti Medico hauriendæ indicationes curatoriæ, præſervatoriæ & vitales: Major ſiquidem artis Medicæ difficultas eſt perfecte cognoſcere indicationem, ab eſſentia enim morbi remedia generica deſſumuntur, remedia autem ſpecifica ab effectu; Qua de re Gal: lib: 3. loquens de numero indicantium, quæ occurrunt ægrotantibus ante curationem morbi, reducit ad tria, ita ut primum ſit urgens, ſecundum ſit cauſa principalis, tertium cauſa ſine qua non, ideſt impedimentum. Tractet enim Medicus Ægrotum qui centum habeat affectus ante morbum curandum, non inveniet plures indicationes tribus,

tribus, proponit enim Gal: ulcus cum inflammatione, ſorditie, cavitate, & immodico ſanguinis profluvio, docetque prius eſſe attendendum profluvio ſanguinis, quia eſt urgens, & imminet periculum ne vires deſtruantur, ſecundo loco attendendum eſſe ulceris cauſæ, ideſt inflammationi, tertio ſorditiei, quæ eſt cauſa ſine qua non, nunqam enim cavitas implebitur niſi auferatur ſordities quibus omnibus ablatis ſtatim ulcus vel ex ſe, vel brevi ſpatio, exſiccantibus ſanatur: Quo ad urgens, ideſt quo ad illum affectum, qui minatur virium caſum, illi primo eſt vacandum, quia Gal: aſſerit virtutem omnium primò eſſe cuſtodiendam, quia à viribus pendet vivere; Hinc idem Gal: proponit alium caſum cujuſdam Juvenis, quem ob virtutem proſtratam in ipſamet acceſſione nutrivit, hic æger temperamenti calidi, & ſicci, febre continua torquebatur, huic dedit Gal: tres cyathos cremoris ptiſanæ, & duos cyathos vini albi diluti, & tenuis, de quo caſu refert hæc verba: *Æger qui antea ſine voce, & ſenſu jacebat, ſuſtulit oculos, & tum audire, tum loqui, tum aſtantes noſſe cæpit*, ecce quod ſpreta febre, & ejus cauſa, atque ipſius acceſſione, virtuti, ſcilicet virium robori vacans, in acceſſione cibum, & vinum præbet: Caſus non longè diverſus mihi curandus contigit, à quo quiſque & diſcere poterit in morbis levibus fidendum non eſſe. Correptus febre tertiana ſimplici, atque levi, jacebat uxoratus quidam annorum 26. temperamenti calidi, & ſicci, qui prævia purgatione, digeſtivis curabatur, à quibus febris mitior facta propè ſeptimam judicationem pollicebatur; Verùm vice verſa in ſeptima nullum exitiale fuit ſymptoma, quod illum non moleſtaret: Delirium cum motibus convulſivis, febris intenſior continua, vigiliæ, adduxerunt patientem in vitæ diſcrimen, nec æger jam ultro ille erat ſicuti nudius-tertius. Exhibito qua de re pul: cort: Perù, extracto à venis ſedalibus ſanguine, veſſicatoriis in cruribus, cucurbitulis per totum, emulſionibus ad ſatietatem cum ſale prunel: ac ultimo pipionibus deraſo vertici, remiſit delirium in ij. & febris mitior fuit. En iterum in 12. ſpecies fluxus hepatici, ſcilicet ſanguinis ſinceri per alvum dejectio ultra ſex lib: pondus, quatuor horarum ſpatio, quo extremum, & ſpiritum effundere videbatur. Tunc gelatinam C. C., tincturam roſ: rub:, conditum ex rhabar: uſto, ſpec: trium ſantal:, margarit: præp:, bol: armen: orl:, macis, theriac: tinct: corall:, ſucci cidon: cum ſaccaro roſato frequenter ſumendum, nec non ptiſanam ex hordeo, & aliquot coclearia vini rub: auſteri, permittenda duxi, quibus hepaticus conſtetit fluxus, quie-

quievitque omninò delirium in 18. qua die iterum novum ſymptoma ſcilicet diarrhea lienterica apparuit, in qua quidquid aſſumebatur, parum aut nihil alteratum ſecedebat, comite ſanguinis ſputo, cum tuſſi, febre facta continua & lenta, jamque ſigna imminentis hecticæ plurima & manifeſta erant. Exhibitis qua de re aliquot granis maſticis, continuata gelat. C. C. cum tinct. corall: & theriaca, ac applicato emplaſtro de cruſta panis montag. ſupra ſtomacum, vinoque rubro generoſo cocleatim propinato, tandem in vigeſima ſeptima iterum meliùs ſe habuit, ſola febre continuante: Facta tunc temporis aluvo dura, expiatis in meſenterio, & liene nonnullis tenſionibus, ad uſum conſ: paſſular: cum rhabar: Etmulleri illum adduxi. Dehinc juſculum ex decocto teſtitudinum, & ranarum cum æquali portione pul: rad: Chinæ, & corticis Kinæ Kinæ per 40. dies continuandum mandavi. Quibus omnibus ad unguem ſervatis perfectè convaluit.

L X V I.

Conſultatio de particulari ac forſan inaudito comate.

CORpore integro manente in univerſam terram excurri, mare pertranſii, aerem, terram ambii, cum Sole, cum Luna me circumferre non timui, minimumque fuit, ut cætero aſtrorum jungerer choro, cauſam cujuſdam comatis, atque præſidia ad illum removendum, enixim quærendo Limine Ædium Auguſtiſſimi Cæſaris ſalutat, tandem tempus, & occaſio contulit parumper colere ac de tanti ponderis ſe verba facere cum Excellentiſs. Phyſico D. D. Gabrielo Longobardo illius Cæſareæ Majeſtatis Medico, qui futilem hanc expoſitionem meam non moleſtè ſuſtinens, tandem ſumma humanitate ac ſingulari eruditione reſpondit ut infra.

Nobilis D. ætatis annorum 21. temperamento ſanguineo prædita, corporis obeſi, & ſucci plena, conflictatur quadam oblivione, ſeù obliviosa ſtupiditate, ſeu comate vigili imperfecto, accidentali, ad ſtupi-

ſtupiditatem; non ad Epilepſiam tendente: atque per intervalla recurrente: Sed ut clarior res innoteſcat, ortum, augmentum, & finem ſupradicti paroxiſmi, clariori, qua potero calamo dilucidare aggrediar: Corripitur ſupradicta ſtans, aut ſedens, deambulans, aut decumbens, jejuna, in, & poſt cibum, incerta hora diei nunc pluriès, nunc rariùs in die, vel menſe, corripitur, inquam, ſubitanea quadam oblivione & ſenſuum internorum abolitione, quo tempore dulciſſimo ſomno oblectatur, ſed re vera non dormit, ſemiclauſis oculis loquentes audit, ſed incongrua reſpondit, res domeſticas tractat neſciens quid agat, tumulenta remanet, & correcta de errore, pejorem reſpondit, transfertur ut plurimum eodem temporis momento de uno in alium locum neſciens quo vadat, & poſt diſcuſſionem paroxiſmi obſtupeſcit ſtatù, & ſitù, in quo invenitur, cum priùs inibi non fuiſſet, cum ſui compos eſſet: Ingruentiam paroxiſmi non animadvertit, niſi ex illa dulci ad ſomnum propenſione, & poſt paroxiſmum (qui perdurare ſolet quadrantis horæ ſpatio) reſipiſcit abſque ulla membrorum alteratione præter adauctam nativi coloris in facie rubedinem, & menſis ſanitate functiones animales, vitales, & naturales, prudentia, & ratione proinde peragit. Recurrit dein paroxiſmus tardius, aut citius, & quo citius, eo graviùs per totam diem offuſcatur, & calignoſa, ac quaſi ebria remanet, quó verò tardius, lucidius clareſcit, & ſuis prudenter fungitur muneribus; Non longè ab ordinario menſium fluxu, vel ipſa die, quo fluere incipiunt menſtrua, majori ſemper plaga torquetur; Olim amara in paroxiſmo exhibita, vel morbum citius tollebant, vel illum per aliquot dies remorari ſolebant, nunc vero fortaſſis, quia naturæ aſſueta, parum vel nihil prodeſſe videntur; Ab ultima uteri conceptione, duobus abhinc annis habita, exordium habuit morbus, qui ſicuti tranſactis menſibus vix, & ne vix manifeſtabatur, nunc conſpicuus, & evidens manifeſtè nimis mulierem corripit, etiam ſi Nob. Mulier hucuſque ſemper copioſa ſuis in Menſibus regulariter procedentibus extiterit.

Hæc eſt idea morbi Nob. Mulierem vexantis, contra quem quilibet in arte verſatus fortiora præſidia armare debet, ne graviori capitis telo percuſſa occumbat ægra. Multis hucuſque impius morbi caracter aggreſſus fuit alexipharmacis, purgationibus videlicet, & replicatis ſanguinis miſſionibus ſupra, & infra; Sed morbus majores ruinas inire videbatur; Præſcripti fuere ſucci herb: abſynt:, cichor: ſilveſ:, centav: mi:, & poſt congruam purgationem, aq: Villenſis data opera per 15. dies cum ext: martis Villis continuata, at incaſſum, ſemicupia

aq:

aq: dulcis in experimentum adducta, ulteriorem mentis gravedinem inferre ſolebant; Cinabarina, caſtoreata, ſuccinata, aqua hyrund: cum caſtor: Querc:, conſ: liliot: convall:, emplaſtra hyſterica ex aſſa fætida in tinct: Caſtorei diſſoluta, fruſtra experta ſunt.

Propterea affectio, quæ poſt tanta adhibita remedia nullatenus pertinax eſt, ſubjicitur prudentiſſimo Excellentiſſimorum Phyſicorum conſilio, ut ſi quid aliud habent, non omittant, ac libenter ſubiiciant in auxilium Matronæ, quæ ob eximias ſui animi dotes omnem diligentiam meretur, quorum prudentiori trutinæ quod de cauſa morbi & ego ſentio, noviter ſubmitto.

De non apparentibus, ac difficillimis ægritudinibus opinio magis, quam ars judicat, juxta ſenſum Hipp:, verùm ſi coniecturæ datur locus, morbus iſte eſt motus vitiatus, & actio depravata ſpirituum animalium in cerebro non continua, ſed interpolata, non de genere convulſivo, ſed ſoporifero, qui ſpeciem comatis vigilis præſefert, non ab utero ſimpliciter dependens, ſed ab utero, à capite, & à ſanguine, tamquam à triumviratu ortum ducens, quod breviter explanabo.

Affectionem ſimpliciter hyſtericam eſſe negant copioſiſſima menſtrua regulariter procedentia, & conceptus in elapſis habiti annis, nam ex Hipp: *Mulieri morbi fiunt, cum menſtrua deficiant*, ergo uterus, per ſe, culpa carere videtur: Caput principaliter affectum non ire comprobant omnes capitis facultates extra paroxiſmum ſanè, & validè ſe habentes, nec non paroxiſmorum interpolatus, & incertus recurſus: Sanguinem pariter eſſe inſontem comprobat defæcatus mulieris color, nam cum *colores non ſint cutis*, *ſed humorum* ex Gal:, & prout ipſa cutis variata textura diverſimodè lucem determinet, variatur, & ipſa ratio formalis coloris, ita & ſanguini vitium ægritudinis non ineſſe demonſtrant colores pluſquam roſei, & vivaces ipſius mulieris nulla cochochimia laborantis; Neque plethora in cauſa erit, cum & copioſa ſit lunaribus in tributis, & poſt ſanguinis miſſiones malum ingraveſcere viſum ſit, ergo non ab utero, neque à cerebro, neque à puro ſanguine morbus originem habere videtur, à triplici verò fonte totum negotium ſic emanare arbitror.

Uterus ex Hipp: eſt *animal in alio animali*: Uterus juxta Democritum eſt *cauſa 600. ærumnarum, & innumerabilium calamitatum* in fœminis, uterum non ſolum propter ſolumodam menſium ſuppreſſionem, ſed & propter ejus fermenti particularis caliditatem, hoc eſt acredinem, aciditatem &c. laborare poſſe aſſerunt Recentiores, igitur fer-

mentum uteri particulari ſulphurea aciditate coinquinatum, vel fermentiva materies indolis narcoticæ in ipſo utero aggeſta eſt cauſa principalis ſupradicti paroxiſmi, quæ ſenſim congeſta, & ad enormonticam plenitudinem evecta, fibras & nervos uteri appenſos, irritando, ſubeundo, & quaſi per cordam undalatim ſe ſe cerebro porrigendo, propter magnam cerebri nervorum cum utero affinitatem, ſpiritus ibidem hoſpitantes arripiendo, ſupprimendo, ac quadam narcoſi profligando, ſive extra ſphæram dejiciendo, reddit Nob. patientem ſtupidam obliviofam, ac quaſi tumulentam, ebriorum more, illam ab actionibus, quibus momento temporis innixa erat, auvocando & nova phantaſmata incautè porrigendo, donec, materies aggeſta affatim conſumpta ſit, quæ iterùm in cerebrum porrecta recidivas facere conſuevit: Hoc poſito, & jam ſuppoſita nuper dicta Mulieris obeſitate, in qua exuberantia ramoſarum, & ſulphurearum partium credenda venit, particulæ iſtæ cerebrum tranſeuntes, ſpiritus devinciendo vel cum enarrata materia narcotica ab utero porrecta copulam ineundo, illos faciliori negotio in narcoſim, & ſtuporem adducere valebunt; Caliditas itidem cerebri naturalis, & fortaſſe plus quam decet, ut ex ejus perenni frontis rubedine deducitur, poterit & ad ſupradictam tyranidem fovendam locum habere: Sicut enim animal, juxtà Paſcoli ſenſum, vigilare dicitur quoties membranæ cerebri, turgidæ quadam lympha particulari valent intus in cavitate detinere ſpirituum animalium uberiorem partem, ſic illa diſſipata à nimio cerebri calore, evaporantibus ſpiritibus, jam jam à ſupradicta diatheſi in narcoſim adductis, allentantur filamenta nervea, ceſſant actiones ipſorum ſpirituum, mulier deperditur in ſoporem, ſomno dulci perfunditur, tumulenta remanet, incongruè reſpondet, atque inconcine operatur; Cauſam hujus affectus pituitam cum bile permixtam inculpabant Antiqui; Villis vero materiam craſſam, & ſoporiferam poros, & meatus, qui ſunt ſpirituum ambulacra in cerebro, obſidentem, accuſat, à qua ſpiritus à ſolita expanſione, & mutuo commercio multum inhibentur, & ſopor indè emergit, cum verò ipſis ſpiritibus particulæ quædam acres, & ſummè agiles, veluti totidem aculei adhæreſcant, illi perpetim in motus incitantur, cumque adeo ſtrictum non ſit ſpirituum ligamen hinc vigilando dormire videtur, & affectio non eſt continua, ſed accidentalis, & interpolata; Quidquid autem ſit, colligo non ex puro ſanguine, neque à cerebro ſolum, neque ab utero, ſed primariò ab utero, & ſecundario à cerebro, & à ſanguine,

ne, ſcilicet ab iſto triumviratù iſtius Gigantis ovum jure meritò dependere, nec una falce reſcindi poſſe, cum hucuſque validiores Apollinis artis conatus effugerit; Verùm non dubito, quin ſequentibus remediis, ac fortioribus quæ ab exteris & ego attendo, una tandem ſub cæde perimendum non fore mortiferum aſpidem. A fonte Chirurgico remanent deſſumenda veſſicatoria vel illud Menſich ad mentis alienationem ſupra futuram coronalem applicandum, atque fonticulum in coxis. A pharmaceutico eruuntur lignorum decocta ſtybiata, verùm ne magis magiſque incaleſcat cerebrum, utique ſperarem tutius curationem abſolvi poſſe per aquas minerales S. Mauritii, & ſi corporis obeſitas montium anfractus odio haberet, jis ſubſtituendus cremor tartari ad longum tempus continuandus, qui & ramoſam corporis pinguedinem emendando, & caliditatem ſive ſanguinis, atque totius corporis fervorem infringendo, ac ſulphur narcoticum deſtruendo, optatam tandem Mulieri ſalutem afferre valebit, maximè ſi ſub noctem cinabarina, caſtoreata, & ſuccinata ad legem præſcripta non omittantur. Ex dietetico fonte, victum eupeptum, & aquam pro potu continuandam ſuadeo interdictis quæ flatulentiam, & pingues vapores generare, valent (vino totaliter in exilium demandato). Cæteræ res non naturales, juxta prudentiam, jam de præſenti ad actum deductæ à Nob: Muliere, ſervari valebunt.

LXVII.

Reſponſum, ut ſupra, ad eumdem comatem.

Ex clara, & accurata relatione miræ ægritudinis, qua Nob. Matrona duobus ab hinc annis conflictatur, & ex tot accidentium diverſorum invaſione, recu ſuque de univerſa diri morbi hyſtoria abundè ſum factus certior. Pervicax, & inexorabile malum de quo loquimur talis naturæ eſt, ut ſub determinato quodam morbi genere ex omni parte ſtatui difficile poſſit. Cum autem paroxiſmus incipiat, & perduret cum tali propenſione ad ſomnum, ut quamvis clauſis oculis patiens dormire videatur, revera tamen non

dormiat, nam tumulenta manet, incongrua loquitur, & ex uno in alium locum ſe transferat, idcircò ſpetiem comatis vigilis ad ſoporem potius quam ad ſpaſmum tendentis ægritudinem eſſe & ego crediderim. Sed qualiſcumque hujuſmodi affectio ſit illud de ea poſſumus ſanè pronuntiare, quod ipſa ad apoplexiam propendeat, niſi opportunè, & antequam magis invaleſcat, edometur. Quippe ſi morbus invadit corpus obeſum cum ſomno, rerum oblivione, ſenſuum internorum abolitione, & ægra tumulenta manet, & ſtupida, quid obſtat, quin dicamus accidentia hæc quamvis per intervalla recurrentia apopleticam affectionem prædicere, ſi temporis decurſu cerebrum, & nervorum principium, quod fieri facilè valet, tot frequentibus invaſionibus concutiantur? Verùm qualis pars corporis principaliter ſit affecta, aut qualis humor tam diris invaſionibus cauſam præbeat, difficile ſtatui poteſt. Uterum malè affectum iri dici haud debet, nam & menſtrua regulariter ſemper fluxerunt, & fluunt, nec affectus hiſterici, ut fieri ſolet, invaſionem mali præcedunt. Quod ſi ante eruptionem menſtruorum paroxiſmus fortius inſurgat, & repetitis concuſſionibus ſuum caput extollat, id uterus non efficit, ſed potius accidentaliter ſanguis, dum concitatior motu menſtruæ fermentationis redditus, humorem morbi cauſam exaſperat; Neque caput eſſentialiter vitiatum eſſe patet ex eo, quod elapſo paroxiſmo, caput bene ſe habeat, & Illuſtris D. ad ſe redeat, & omnes functiones vitæ ſana mente peragat. Nec denique ſanguis in culpa eſt, etenim Nob: Mulier ſanam obeſitatem, & floridum colorem, vetuſtatemque ſervat, & cæteras actiones abſolvit, quæ à ſanguine veluti proprio fonte originem ducunt: Itaque coniicere licet, quod malum aliunde ſuum ortum, quam ex memoratis partibus ſortiatur, quodque timendum ſit, ne temporis decurſu partes, quas per intervalla invadit, in ſuam poteſtatem tandem redigat. Cum itaque nec uterus, nec caput, nec ſanguis permeans, vitium contraxerint, & cum ægritudo ipſa non conſtanter ſemper ſæviat, idcirco probabiliter exiſtimandum humorem nunc citiùs, nunc tardiùs in viſceribus naturalibus per intervalla cumulari, qui in ſanguinem ſe ſe inſinuans, & circulari motu in caput advectus, cerebrum ſub forma paroxiſmi tandiu infeſtet, donec calore invaſæ partis, & continuo motu ſanguinis diſſipetur. Humorem hunc, ſive humores glanduloſi dictorum viſcerum, ſive ſucci pancratici, & billioſi, ſive lymphæ ſubminiſtrent, ipſe talis eſt naturæ, ut opii naturam redoleat. Quis enim Medicorum quotidie non vi-

det opium non bene correctum, & nobis propinatum ea omnia accidentia producere, quæ in Nobiliſſima Ægrota noſtra paroxiſmi tempore excitantur. Hic humor, qui fermentum opiatum dici poteſt, per ſanguinem ad cerebrum delatus, primariò fibras cerebri, & ſpiritus animales hebetat, ſomnique propenſionem excitat, exinde eorumdem ſpirituum motum turbat, & in ſummam confuſionem adigit, unde interiores ſenſus depravantur; Ni mavis dicere, quod in tot receſſibus cerebri fibrarum, vel ejus cavitatibus, aut glandulis, vel vaſculis fermentum morboſum producatur, quod per intervalla, & fibras, & ſpiritus cerebri adoriatur. Pro hujuſmodi ægritudine extirpanda jam video à viris de Medicina bene meritis multa, & apprimè comparata remedia fuiſſe in uſum revocata, quamvis morbi ferocia ea omnia ſpreverit, atque invalida reddiderit; Sed quid ego pro mea ingenii tenuitate auderem proponere, paucis expediam.

Principio in apricum montanumque aerem ſe transferat, ut purioris Cæli, & auræ beneficio fibras cerebri, & ſpiritus vividiores ſervet, nec tam facilè ex morbi invaſione hebetentur. Vinum omnino deſerat, quod & acidum in ſe complectitur nervis inimicum, & item vim narcoticam, unde & ſiſtema fibroſum cerebri, & ſpiritus animales torpent. Sit potus quotidianus in prandio, & cæna aq: Noceriana aut leve decoctum ex ligno Viſquercino & ſaſſafras. Victus ſit optimi ſucci; evitentur alimenta fortia ex carnibus durioribus. Mane, & veſpere ſe ſe ambulatione exerceat, & bis in hebdomada (excepto menſtruationis tempore) alvum lubricam ſervet uſu pilul: de ſuccino Cratonis. Cum autem pluries obſervatum ſit à venæ ſectione malum exacerbari, ac citius redire, ideò ab ea deinceps abſtinendum, niſi accidentia talia urgeant, quæ eam aliunde expoſtulent.

Pro auxiliis ſeligendis mihi ſæpe cogitanti illud in mentem venit, quod eſt in morbi relatione adnotatum, ſcilicet amara in paroxiſmo olim exhibita, & malum citius propulſaſſe, & imminenti ejus recurſui moram injeciſſe, quamvis nunc ipſa parum virtutis ſuæ retinere videantur. Si itaque amara olim morbi impetum infregerant, & nunc non valent id facere, neceſſe eſt validiora amaricantia experiri. Sic olim amaricantes herbæ pro uſu febrifugo febrium intermittentium, quas quandoquidem extirpaverant, in uſu erant, donec nobis ex America innotuerit uſus Kinæ Kinæ, quæ inter amara principatum tenet, & ejus virtute tutius, ac certius

me-

memoratæ febres eliminantur; Inter validiora amaricantia Kinam Kinam eligerem, & quamvis hæſitanter id propoſuerim, tamen non ſine ratione, nam ſi morbi fomes per intervalla, & paroxiſmos invadit, neceſſe eſt, quod extra ſanguinem antea exiſtat, quodque ab uſu corticis paulatim edomare poſſit, ut in feb: intermitt: fieri ſolet. Nonne celebris Riccardus Mortonus quamplurimis in morbis per intervalla recurrentibus ſummo ægrotantium emolumento Kinam Kinam adhibuit, & magnus ille Practicus Thomas Sydenam in paroxiſmis hyſtericis eam nonne utiliter præſcripſit? Quamobrem Peruvianum corticem cum appropriatis cæphalicis miſtum exhibendum eſſe crediderim; Inter cæphalica præter caſtoreum quod conſenſu omnium Practicorum virtutem egregiam habet peccantis humoris vim narcoticam infringendi, cinabarim ego quoque eligerem, cujus vires adverſus capitis ægritudines ex longo jam tempore, & obſervatione innotuerunt. Præcipuè autem ratione cinabaris adhiberi debet ſpecificum cæphalicum juxta deſcriptionem Michaelis vel Pharmacopeæ Auguſtanæ. Hujuſmodi auxilia procul ab alimenti aſſumptione bis aut ter quotidie ad plures hebdomadas, & in pauca quantitate in uſum revocari debent; Scilicet fieri poterit maſſa pilularis ex tribus illis ſubſtantiis, cujus quamlibet doſim ingrediantur grana quatuor caſtorei, duo ſpecifici cæphalici, & ſcrupulus Kinæ Kinæ, ſuperbibendo pauxillum aquæ florum tiliæ, vel liliorum convallium, aut ceraſ. nigror.: Cæterum dum hæc fiunt veſſicatorium in collo, & fonticulum in crure excitare, balneationes & ſemicupia inſtituere non erit inutile, quod ſi hæc non ſufficiant, tunc aquæ thærmales Sancti Mauritii experiri poterunt. Deus ſalutis auctor vota & deſideria noſtra ſecundet, Nob. ſcilicet patientem integræ ſanitati reſtituendo, quam ex corde auguramur.

LXVIII.

Nyctalogia.

Contigit autem juxta illud Thobiæ, ut quadam die fatigatus à militia quidam Signifer, veniens in domum ſuam jactaſſet ſe, decumbens in ſede, juxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido hyrundinum dormienti illi oculis apertis calida ſtercora inciderent in

ejus oculum ſiniſtrum, & factus eſt lumine læſus, ultimò per defluxionem materiæ in utroque oculo Nyctalops evaſit, noctu ſcilicet cæcus, interdiu videns. Factis nonnullis revulſionibus ad amovendos humores qui in partem fluxerant, fele piſcis Lucii experto (cum nundum exploratum habeam piſcem, cujus fele ſanatus fuit Tobias) aliiſque incaſſum expertis auxiliis, tandem fumigio olim mihi ab amico communicato ex decocto trium hepatum bovis bis in die, velato capite, ſuſcepto, ac per octo dies continuato, recentia ut plurimum hepata coquendo, evaſit, ac integram viſionem aquiſivit. Annè vero propter viſcoſam oculi humiditatem, quæ dormiendo in oculis colligitur, an per calidam, & ſiccam ſtercoris vim, ſive per ejuſdem ſal volatile nitroſum oculi primò læſio evenerit, jam ſatis ſuperque à Valleſio de ſacra philoſophia quiſque ervere poterit; crambem ab aliis coctam recoquere nolo contentus hæc in re in aliorum ſubſidium hepata cum fele decoquere.

L X I X.

Vitæ longo tempore ſine cibo protractæ Exemplum rarum, & fortaſſe noſtri ſæculi unicum.

Vermium terribilia ſymptomata.

Cardialgia, motus convulſivi, & deglutio abolita.

MUlta interdiu, & vigilantibus accidunt, perinde ac tenebrarum, ſomniique nube involuta, quæ quia unde manaverint, aut qua ratione conſtiterint, dignoſcere arduum eſt, meritò miracula vocantur. Quorum è magno acervo in primis illud occurrit, cum quiſpiam ſine nutritione vivit. Sanè viventia omnia olim nutritione ſervari, niſi nutrirentur, mox iteritura, nutritionemque

capi

capi ex alimentis adeo notum erat experimento, ut dubitarent Phiſici an poſſet eorum, ſalva vita, nutritio intercipi, vel momentum temporis; Nam nutritio cum aboletur ipſa mors eſt, & vita, & nutritio pari paſsù ambulant, ex ſenſu Vander Linden. Verùm hodie viventium corpora non ſola acceſſione ejus ſubſtantiæ, quam accipiunt ex cibis ſervari; ſed & aliter nutriri, ac vivere poſſe, una in virgine experimur, quæ 30. dierum ſpatio non ſine hominum admiratione, ad eſum prona, minimè edere poterat, nec aquæ guttam deglutire, & vitam ſuſtulit. Surrexerat ob hanc cauſam non levis hujus morbi contentio, nec minima inter medicos cauſarum diſceptatio fuit, quæ ferocem adeò morbum, & vitam tandiu abſque nutritione ſervare valerent, & adhuc ſub judice litem arbitror: Studebo quapropter & ego, prævia ingenui eventus deſcriptione, morborum cauſam, & vitæ conſervationem naturalitèr productas omnibus aperire. Nob: quædam D. in Clauſtro D. Cattarinæ Oppidi Soncini annum adhuc 17. non libans, crudeliſſimo morbo correpta, triſti ſenſatione ſuperioris oris ventriculi, non continua, ſed interpolata affecta, convulſiva vomendi anxietate angebatur. Impia morborum claſſis validis ab arte peritis, ſpatio 10. dierum tentata fuit præſidiis, emeticis videlicet, purgantibus, anodinis, & opiatis, ſed incaſſum: morbus altiores ſucereſcens in gradus, altius in diſcrimen patientis vitam adduxit, Aucta Cardialgia, motibus totius corporis convulſivis coniunctis, noviter recurrentibus, & breviter deſinentibus ulteriùs conquatiebatur infirma, quibus ſæva ac ſpaſmodica faucium ac laringis conſtrictio ſupervenit, nec exindè poſſibilis fuit unius guttæ aquæ per 30. dies, deglutio. Recurrebat ſpaſmodica, ac triſtis ſenſatio cum vomendi anxietate, & motibus totius corporis convulſivis nunc vicies, nunc tricies, nunc quatricies in die, & vix eliminato paroxiſmo, ſenſibus integris, integris viribus, vivido faciei colore adepto, quæ animam nupèr agebat, reviviſcens, & hilaris in cachinnos, & facetias prorumpebat, perenni tamen perſtante Eſophagi adſtrictione. Diſceptabant Theologi, an ſupernaturaliter ab Angelo, an præternaturaliter à Dæmone nutriretur infirma, nec morbum naturaliter productum quiſque crediderat. Vocatus poſtremò & ego, ut quid de ſævo adeò morbo ſentirem, proferrem, Soncinum petii, clauſtrum illam inviſendam adii. Vermes in cauſam ſævæ adeo ægritudinis non hæſitanter judicavi, qui orificium ſuperius ventriculi aggreſſi, vel quia copia majores, vel quia acervatim conglabati,

neque

neque ſurſum evelli, neque deorſum in cavitate ſeponi poſſent, ideoque totius morbi cardinem, ſicut & curationem vermibus, à quibus omnia oriebantur ſymptomata, dirigendam decrevi; Præſcriptis quapropter amaricantibus volatilibus externis, metipſo in ore detinendis, ut per eorum miaſmata, vel perimerentur, vel ſecederent vermes, præſcipto & balneo ex lacte, ſemel aut bis in die ingrediendo, nec non ex lacte clyſteribus, ut inferius oblectarentur vermes congruiſque, ſtomaco, emplaſtris, remittere cæperunt convulſiones & cardialgia, unuſque per ſedem apparuit vermis, quem pingere nollem, ne me hiperbolæ addictum credas; hirſutus, piloſus, barbiger, erat, ita ut dicerem, cæterorum vermium avum extitiſſe, nec extra rem, ſi & torquere ſimul, & fovere ægrotam potuit: Incæpit paulò poſt nutriri infirma, & continuato remedio ſenſim revaleſcere, ac depoſitis exinde aliis vermibus in ſatis magnam copiam, ſana tandem, & incolumis evaſit, ut vegetior & ſana etiam de præſenti in ſupradicto Cænobio extat. Verùm de hyſtoria ſit ſatis; Jam jam agendum, ut quomodo in tam diuturna inedia ejus vita perſiſtere potuit, enodetur, in quam rem, Hippocratem conſulens, illum dicentem audio, *homo, ſi ſeptem diebus nihil comedat moriturus*, Plinius ad 11. dies illius vitam extendit. Si quis terminos illos prætererit, multi ad miraculum confugiunt, exemplo Moyſis, Eliæ, ſeptem Dormientium, nec non Ludovici Pii Galiæ Regis, qui ultimis 40. vitæ diebus poſt ſumptum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ab omni cibo, & potu abſtinuit. Verum in cauſis rerum reddendis non ſtatim, ac ſemper ad Deum cauſam ſupremam recurrendum, neque credendum Deum ſine cauſa miracula cedere; Sic pariter neque ſemper à Dæmone obſæſſa illa corpora credenda, ac ſi clanculum illis cibum in corpus inſinuet, quia etſi Dæmon, qui homines obſidet, ſæpe diu latet, tamen tandem ſeſe prodit, quod factum non fuit in ſupradicta Virgine, expertis in hanc rem validioribus Exorciſtis. Cum autem animalium quædam tota hyeme ſine cibo vivant, cur etiam in hominibus diuturnæ abſtinentiæ ratio naturalis dari non poteſt; Plurimi ex Philoſophis, & Medicis in ea ſunt ſententia, eos, qui diu ſine cibo vixerunt, aere quem inſpiramus, nutritos fuiſſe; Corpus noſtrum triplici ſubſtantia conſtat, ſolidis partibus, humoribus, & ſpiritibus, triplici etiam alimento id eget, cibo, potu, & aere, & ſi ſuccedit, vi morbi, ut ſolum aerem haurire poſſimus, cur ſolus aer ad corpus nutriendum, atq; reficiendum per multum tempus ſuffi-

cere

cere non valebit? quidquid calorem congenitum, & ſpiritus animales, ac vitales naturalium utriuſque Animæ functionum organa, adauget, & conſervat, vires quoque corporis, & vitæ alit, ſed aer inſpiratus (ex Gal: de uſu part.) calorem naturalem, ne diffletur, ſui frigoris tepore attemperat, & corroborat, univerſumque corpus quodam veluti rore aſpergit, irrigat, & nutrit, igitur ſolus aer per pulmonem inſpiratus, vires corporis, & vitæ ſpiritus conſervare, & ad longum tempus ſine cibo corpus fovere poteſt; Sunt etiam qui vitæ conſervationem à diuturno naturali jejunio in pituitam, ſivè crudam humorum lympham in corpore redundantem rejiciunt, quod probabiliter evenire potuit nuper dictæ Virgini, cujus corporis calor debilis multum crudi humoris, ac terrei ſucci generare, & cumulare potuit, non niſi longiſſimo tempore ab eodem calore abſumendum. Natura inſuper providens & ſagax, adipe, pinguedine, & phlegmate, ſanguinis rudimento, corpora nonnulla infarcivit, ne ſi quæ ferenda foret inedia, pabulum calori congenito deeſſet, quemadmodum ſunt provida quædam animalia, quæ futurorum conſcia, hyberni victus promptuaria ſibi conſtruunt, ne brumalis eſcæ inopia tabeſcant. Aſtmos etiam ſolis odoribus vivere Plinius innuit: Philagrius apud Aetium non inſcite dicit naturam odore gratam lubenter amplecti, & inde recreatam, ac quaſi reviviſcentem vires ſuas à morbi ferocia preſſas revocare. Exemplum habemus in Joanne Baptiſta Porta, qui ſe multiplici experimento, odore elixir. vitæ multorum exhalantem retinuiſſe animam fatetur, quod & ipſe Van-Helmontius innuit dicendo *ſpiritus ſanguinis in lypothymico plus toſtæ carnis odore, quam aromate refici deberet, niſi fragrantia quatenus citò attingit vitam, in hanc puritatem, & ſuavitatem præparet*, nec immeritò, quia odor naribus hauſtus, ad cor, & cerebrum trahitur, ſpiritum compreſſum ſuffocatum excitat, halantem, ac fugacem retinet. Quid ultrò igitur dubitandum ſupradictam Virginem naturaliter vixiſſe in tam longo jejunio, ſi & proprio phlegmate, adipe, aere, ac odorum fragrantia (qua perpetuò Monialium cubicula redolent) ſuſtentari potuit: Cogita etiam Mulieres habere quoddam Monarchatum in utero, adeoque, & vitam ſingularem; Vitam enim unam in ſplene, aliam in muſculis, aliam in utero Van-Helmont. in mulieribus conſiderat, qua ſcilicet poſt mulieris mortem, prolem adhuc enititur, ergo & ob uteri Principatum, ni morbus receſſiſſet, ultra 30. dies Virgo jejuna vitam produxiſſet.

LXX.

L X X.

De Polypo: Quilibet in arte ſua manere debet.

NEC illud quidem involvendum ſilentio, quod per loca deſerta, & invias regiones vaganti mihi accidit, quum obvius ex improviſo extitit quidam Vir parvulo pileo caput contectum habens, flexibiles ocreas in pedibus gerens, tenuique baculo licet agreſti innixus deambulans, cujus fronti inſcriptum erat *Lepidum caput*: (Mercurium prima fronte exiſtimaveram) Impatiens propterea illius nomen exploratum volui: *L'Ermafrodito dell'arte Medica* vocari dixit (in quo uterque quidem ſexus, ſed neuter remanſit integer) ſcilicet unum ex illis eſſe qui poſtquam Chirurgia à rationali curandi methodo ſejuncta ſeorſim tractatur, nullatenus nedum Chirurgorum, & Barbitonſorum officia confundunt, verum inſana temeritate (ob Superiorum indulgentiam) Medicorum munera, magno mortalium excidio inire audent. Facta mihi paulò poſt cujuſdam polypi narratione, ad meam circa illius morbi curationem exponendam ſententiam, ſummoperè compulit. Inſuflationem clyſteris, quem ſecum gerebat, expaveſcens, ad illius arbitrium ſequenti ritu ſtudia mea accomodare ſategi.

Inane ſtudium ſit ea repetere quæ tu egregie Vir de polypo, quo affligittur N. N., tum cognoſcendo, tum curando diligenter dixiſti. Verum ſi, ut eſt ſententia Hipp., quæ medicamenta non curant ferrum curat, quæ ferrum non curat ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, immedicabilia credere oportet, quid mihi de Polypi poſt generoſa præſidia, poſt ferrum, atque ignem, & poſt tuam adhibitam diligentiam, adhuc ſuperſtitis curatione ſperandum ſit, profecto non video. At in gratiam venuſtatis tuæ, pauca & ego ſubnectam; Illud in primis ponendum, narium affectus non eſſe curatu faciles, quia nares non multo calore ſunt præditæ, & difficiliores redduntur, quia foventur capitis vitio, à quo indeſinenter ſuperflui ſucci in eum locum illabuntur. Itaque præter totius corporis purgationem, atque exſiccationem, quam exactam molirer ligno-

rum decocto, & tenuis, atque exſiccantis victus ratione, & ad caput privatim deſiccandum me converterem cum cocleis toti capiti, & maximè ſincipiti contuſis admotis, ſicuti in occipitium inductum laqueum, vel ferri candentis uſtio, fluxionem retrahere poterit, & apophlegmatiſma redundantem humorem ab ore elicere valebunt; Corpore ita & capite confirmato, tumoris ablatio quærenda, quam ego quidem tentarem ſcalpello, & eo candenti, ut una, & eadem opera tollatur tumor, & conſolidatio parti imprimetur, atque immoderata ſanguinis profuſio evitetur, quæ conſimili in curatione ſemper aliquem laborem facere conſuevit. Quod ſi hæc curandi ratio aſperior videatur, quam ut eam æger ferat, oleum ſulph: eligerem, quo primum cum melle roſaceo, poſtea verò ſincero illiniatur tumor, ut auferatur morbus, & pars majus robur adepta minus promptè fluxionem illam recipiat. Quod ſi contumaciſſimus hic affectus propoſitis remediis non ſuperetur, ſupereſt ol: calchanti, cujus uſu, ſi exaſperari videatur malum, leniri id poterit medicamento ex punicis malis, vel ex ſucco virgæ aureæ, vel petaſitis, quæ prava etiam, ac ſordida ulcera curare ſolent. Si his præſidiis humorem tolli, aperiri, ac liberari narium meatus accidat (ut ſpero), ut ne quid veſtigii remaneat, quod faciat recurſum morbi, diligenter inſpiciendum, an in penitiori narium ſede aliquid ſuperſit, quod cancri naturam redoleat, in quem ſæpe manifeſto degenerat, vix tantillo illius fomite relicto, quod illito ex ſupradictis medicamentis penicillio, ſuccis ſyphone injectis, evitabitur, & ſi à naribus ad meatum illum qui in palatum ducit, exploratum tibi occurret ſcabrum, vel tumidum aliquid, conſule magni nominis Chirurgos, nam in hac re, hocve noſtri temporis ævo, in quo neſcio an fato quodam, an potius Medicorum faſtu, Chirurgia à rationali curandi methodo ſejuncta ſeorſim tractatur, ſatis me dixiſſe arbitror: ſic te ne crepidam tuam tranſgrediaris ſuadeo; Unum enim Diaulum notavit Martialis lib. 2., qui primum Chirurgus, mox Veſpillo fuerat, nunc Diauli multi notantur, qui & Veſpillonis & Chirurgi & Phiſici munera explere poſſe audacter arbitrantur, ſed cum illis deſit utriuſque artis integra cognitio, non immeritò, ſpurii Artis Medicæ Androgini nominandi ſunt.

L X X I.

Hernia inteſtinalis: Mali effectus ſomnii.

DIvinæ ſiquidem fortunæ vulnus Pheræo Jaſoni quidam exitii ejus cupidus intulit: Nam cum inter inſidias gladio eum percuſſiſſet, vomicam, quæ à nullo Medicorum ſanari potuerat, ita rupit, ut hominem peſtifero morbo liberaret. Val. Max. lib. 1. cap. 8. Fatalis verò infortunii ſomnium, quo certis imaginibus cujuſdam Reverendiſſimi quies adumbrata fuit: Nam cum ſomnum illi capienti oborta eſſet ſpecies conflictus, animo concepta inimici imago, illum à lecto extulit. Experrectus, ſomnii fallacis procellas intelligens, iterum ſomniculoſus cubare ſategit. Latus ſive ſpondam lecti petens, capite declinato, elevatis cruribus, verſit ſe in caput, & ex lecto decidit. Levi capitis contuſione oborta, prolapſus inteſtini, ad magnitudinem capitis infantis, in ſcrotum factus eſt, cum peritonei dilatatione inguen occupante. Comiſſa mihi, & Chirurgo patientis curatione, illam methodo ut infra feliciter geſſimus. Ægro ſupino collocato, genibus ſurſum protenſis, & à ſe invicem paulùm diſtantibus, manu leni, fomentis, & oleis emollientibus, inteſtinum repellere ſtuduimus; poſtea corpore per pul: Catholicum purgato, longo uſu ſpiritus ſalis dulcificati, & cerato ut infra, rupturam inteſtinalem emendavimus, atque curavimus.

℞. Spiritus ſalis rectif. drac: iij:
vini rub: generoſ: onc: xiiij: miſce, agitetur, & præbeantur onciæ duæ ſingulo mane jejuno ſtomaco hor. 4. ante cibum, continuetur per 21. dies.

℞. Laudan. drac: iij:
nuc: cupreſ: n: iij:
hypociſtidis
terr: ſigillat: aā drac: 1.
picis nigr: onc: iij:
rheretent: Ven: onc: 1.
rad: conſolid: ma: onc: 1. ÷
Ceræ virg. onc. 1.
ſ: a: ſ: empl.

Hoc interim ne ſederet, juſſimus; ſed ut continuò ſtaret, aut decumberet, ſive ut extenſus in cymba veheretur, mandavimus. Methodo ad unguem per 40. dies ſer-

ſervata, (quibus, poſt 21. diem ab uſu ſpiritus ſalis, in ferculis imiſcebatur rad. Herniariæ, ac conſolid: ma:) continuato emplaſtro cum vinculis, ſanus evaſit.

LXXII.

Febris lypiria:

CVM turpe ſit Medico ſolo prognoſtico ægrotum dimittere experientiam facturus, num ob orci faucibus lypiricum eripere valerem, ſtrenuè me geſſi in curatione cujuſdam R. Pat: annorum 56. temperamenti calidi, & humidi ad biliosum vergentis, febre maligna lypiria nuncupata laborantis, in qua exteriora frigent, & interiora uruntur, de qua verba faciens Gal. neminem vidiſſe ſanatum aſſerit. Adhibitis omnibus alexipharmacis ex aqua Profilat. Barbetæ, theriacal: P. S., cord: Saxoniæ, cum bezoarticis, nec non ſpecifico Riveri, veſſicatoriis, cucurbitulis, frictionibus, atque Aetii unctione, ſed omnibus in caſſum; Nonam diem percurrebat patiens majori ſemper vitæ periculo; Deſperans propterea & ego de ejus ſalute, fortis potiùs, quam ſpei ſtimulo addictus die 10: morbi, exhibui in capſula ceræ ligatam (ne avolaret), drach: ÷ ſal: volat: viperini particulari diligentia à D. Pharmacopola Portilioto parati à quo nullus ſudor, nullus calor extrinſecè apparuit, die ſequenti idem medicamentum eadem cuſtodia iteravi, ſed pariter abſque ſenſibili alteratione, die 3., quæ morb. erat 12. placuit & mihi iterum experimentum facere eadem doſi ejuſdem ſpecifici, à quo tandem calor, & ſudor prodidit affluenter, ac urinæ copioſiſſima emanavit: Remiſit febris, quæ continuatione aliorum cardiacorum in 21. die morbi omninò diſparvit, & æger convalluit.

L X X I I I.

Aſtma convulſivum, & Tabes dorſalis, & ptiſis initium.

NON gerras, ſeu deliritates poeticas tricorporei Gerionis, ſed veridicam trium morborum corpore ab uno emanantium hyſtoriam ſcribere ſuſcipio: Aſtma convulſivum caducum Pulmonum ab Helmontio nominatum, tabes dorſalis ex irruente per ſpinam medullam diſtillatione ab Hipp: notata, & ptiſis initians, ſunt faſciculus triplex, qui difficilè rumpitur, ſed aliquando enſe Macedonico omnis diſſolvitur nodus: Reſpiratio quam plurimis abhinc menſibus, omnibus irritis, ducere non poterat Nob: Barro, niſi errecta cervice, & ſedens in lecto, cum tuſſi ſicca, abſque ulla materiei excretione, apertè demonſtrabat aſtma flatulentum, & convulſivum, quod diverſimodè ab aliis aſtmatis ſpeciebus curari debuerat, nec in hac aſtmatis ſpecie pectoralia convenerant, niſi per accidentalem ptiſis complicationem: Antiepileptica verò, ſivè anticonvulſivæ neceſſaria erant, utpotè ad coercendas fibrarum, & nervorum pulmonarium contractiones ſpecifica, atque ad emendandam ſalſam acredinem, ſuccum nerveum inficientem idonea. Irritatis enim pulmonum fibris à nerveo ſucco, acri & mordaci caractere ſaturato, expanſionem longè majorem inire debuerant pulmones, aucta ob hanc cauſam diaſtole, ac ſyſtole dimminuta, impotens excerni per arterias ſanguis, neceſſarium fuit, ut plùs debito in cordis ventriculis ſtagnaret, contractiſque ab ipſo pondere pulmonibus, magna exindè oriri debuerat ſpirandi difficultas, adeò ut patiens reſpirare non poſſet, niſi errecta cervice, & ſedens in lecto. Confirmatæ tabis dorſalis, & ptiſis incipientis, plerumque diſtillationes comites, & cauſæ ſunt, & ſi diù perſtaſſet materies, vel humor in bronchiis, exquiſitam pulmonum ptiſim effeciſſet. Trifaria morborum claſſis totum hominem requirebat, ſed cum impoſſibile eſſet omnibus unica lance occurrere, relictis poſterioribus, ad id quod magis urgebat me vergere volui, ſcilicet ad aſtma convulſivum, cum impoſſibile ſit viventem non reſpirare, & reſpirantem non vivere: Interdicto

dicto propterea omni purgantium genere, ne turbas majores cierent, clyſteribus, anodinis, & ſequenti mixtura curationem ſuſcepi. ℞. ol: amigdal: dul: onc: iiij:, aquæ cinamomi, theriacal: P. S. aā onc ÷ elixir. P. P. gut: vij: ſpirit: ſal: Armoniaci dulcif: gut: xij: ſpirit: ſuccini, gut: ij: caſtorei gr: vj:, laudan: opiat: gr: ij: miſceatur, & præbeatur nocte, replicetur ſequentibus; & quia tenſio, & renitentia nimis manifeſta erat in hippogaſtrica regione, emplaſtrum emolliens præſcripſi ex fol: malvæ, violar. brancæ urſinæ, parietar: in lacte ad putrilaginem coctis & cum oleo ex ſeptem flor: Minſich malaxatis. Looch ſeù potius Julapium ex decocto rad: enulæ campanæ, card: B:, ederæ terreſt:, lumbric: lumacum, cum foliis ſalviæ, verbaſci & roſmarini ſimul diſtillato ad onc: viij. miſtum cum confect: hyacint:, alcherm:, diaſcord: aā drach: 1., tincturę ſal: tartari, tincturę caſtorei ſuccinati, aā ſcrup: 1. pul: milleped. drach: ÷ aq: theriacal. P: S: cinam: aā onc: ÷ ſyrup. de ſuc: eder: terreſt: Quercetan: onc: 1. ad libitum offerrebatur, ut per ipſum ad urinæ vias demandarentur recrementa exotica, ſpaſmodicas pulmonum contractiones efficientia: ſperma cæti, pul: margarit: orl., antiect: Poterii cum ocul: *69.* in aqua florum ſambuci, & fol: capil-V. frequenti erant in uſu. Ultimo veſſicatoriis in brachiis ad revulſionem materiæ catharalis à partibus ſpiritalibus, ſoluto, juxta neceſſitatem, corpore, tinct: ex caſia, ſeu extracto mannæ, vino interdicto, Balneo aquæ dulcis, nec non pul: viperini uſu, in decocto teſtudinum cum dr: ij. rad: chinæ, per menſem continuato, tandem, inquam, Palladis ſcuto, ſive potiùs Jovis, aç Danaeş enſe falcato, peremptum fuit immane monſtrum.

LXXIV.

LXXIV.

Sanguinis ſputum quando ſalubre, & quando læthale, ejuſque curationis cautela.

ANtelucano tempore, itineri accinctus, aphoriſmorum inquirebam integritatem: Cumque perſæpe à ſanguinis ſputo multa corporibus ſublevamina obvenire probe noverim; Cur Hipp. à ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo tabes, à tabe mors, conſtanter dixerit, cogitabam; Juga proinde Parnaſſi iterum petitus Avicennam conſului, qui vix interrogatione facta, ſanguinis ſputum frequenter ad ſanationem conferre reſpondit, & diſtinguens ſputum ſanguinis ſalubre, à ſputo ſanguinis læthali, ſic vel conſimiliter protulit. *Ex una parte Hipp: de coacis prænotationibus dicit, quicumque ſpumoſum ſanguinem expuunt, & à dextro hypocondrio laborant, ferè moriuntur, & alibi in aphoriſmis à ſanguinis ſputo &c. Ex altera autem parte experientia comprobatum eſt in plethora, vel ſuppreſſis menſibus, vel hæmorroidibus, vel mutilatis ac nonnumquam in cruenta diſſenteria utiliter, & criticè excerni ſanguinem per os*, qua ratione cenſendum ſputum ſanguinis frequenter conferre ad ſanationem; quum enim ſanguis auvertitur, & inde levamen ſequatur, expulſio ſanguinis per ſuperiora eſt ſalubris, & ideò dicendum Hipp: locutum fuiſſe de ſputo non copiosè, & ſæpiùs per os, ſed lentè cum tuſſi, aut ſine ipſa, cum febre, exeunte, quo tempore ſemper mortis præludium, maximè ſi ſpumoſus exeat ſanguis. Non igitur ſemper feſtinanter fortioribus adſtringentibus, ſed revulſionibus maximopere eſt providendum, ne per adſtringentia medicamina, (quæ intellectu carent, conſtringendi unam magis, quam alteram partem) vaſa ulterius occludantur, ſive obſtruantur, ac ſucreſcat ſpuitionis ſanguinis cauſa. Vaſorum autem conſolidatio, quæ ſolius naturæ munus eſt, à Medico coadiuvari poteſt tollendo prius copiam, vitium, humorum fluxionem, & quæcunque ſunt naturæ impedimento quo vas ruptum, vel apertum conglutinari queat, quod facilius obtinetur revulſionibus, ac

medicamentis refrigerandi facultate, ac quodam lentore ſubſtantifico præditis, quam per adſtringentia.

L X X V.

Tremor particularis mandibulæ inferioris cum ſpaſmo cinico non continuo, ſed interpolato.

SED tempus eſt prodere memoriæ eventum qui mihi una nocte ſimul cum quodam Reverendiſs. accumbente accidit. Poſt cænam ſciſcitatus ille fuit à me cauſam cujuſdam tremoris non continui, ſed interpolati, quo in mandibula inferiori cum ſpaſmo cinico perſæpè, die, nocteque vexabatur. Fatigatus ab itinere illius animo ſatisfacere nequaquam potui, ſed in craſtinum, ſolutionem quæſiti ſpopondi. Impatiens ille, diu differre non potuit, ideò, me placidè dormiente, evulſas ab anatre, ranis, & buffone quaſdam linguas, juxta cor meum admovit, factaque quæſiti interrogatione, ſequenti ritu me reſpondiſſe teſtatur. Singulari meretur examine particularis affectio, qua vexaris Revrendiſs. D.; Verum nequaquam à ſpirituum penuria hanc affectionem productam exiſtimo, ſed vel vitio organi, vel ſanguinis labe, enatam judico. Succedit perſæpè quod partium fermenta aciditatem concipiant, à qua ſpiritus elaſticantur in convulſionem, & tremorem: Succedit etiam nonnunquam quod partium nervi comprimantur à ſero lixiviali in toto corpore, & maximè in capite exuberante, à qua compreſſione ſubſilientes ſpiritus, muſculos convulſivè exagitant; Sicuti non rarò evenit quod à copula exploſiva in cerebro aggeſta, & in mandibulæ inferioris muſculos porrecta, iidem muſculi convellantur, ſpaſmum cinicum, & menti concuſſionem ad tempus efficientes. Quomodocumque id fiat, morbus meretur attentione, & diligenti curatione, ne in apoplexiam tranſeat. Indicatio curativa conſiſtit in expurgando primas vias, ſerum ſuperfluum auferendo, viſcerum intemperiem, atque ſanguinem emendando, & caput, congruis cæphalicis,

llcis corroborando. Hunc in finem ſyruppum florum perſicorum, nec non ſuccos herbarum lupuli, fumariæ, bettonicæ, cochorci, atque abſyntii, tibi ad legem Egregii Phiſici aſſiſtentis ſumendos præcipio. Poſtremò decoctum ex china, ſalſà, ſantalis, lentiſco, Viſquercino, cichoreaciis temperamentum, addito pumice, & ſtybio in petia ligatis, cum parum ſaſſafras, per 30. dies cum guttis alitot liquoris cor: Cer: ſuccinati accipiendum ſuadeo, expectando ſudorem; ultimò conſerva liliorum convallium unam cum pulvere ſuccini albi & caſtoreo ad longum tempus continuata, ſatis certam curationem tibi promittit.

LXXVI.

Variolæ malignantes.

C*Onvenit homini, omni, ſoli, & ſemel* (ex ſenſu Villis) *variolis, atque morbillis affici*; Si fortè quiſpiam in tota vita immunis degerit, aut alius in hos affectus ſæpiùs inciderit, ſunt hæc rara naturæ eventa, quæ communi obſervationi minimè derogant. Cauſas, ſtadia, ſymptomata morbillorum, atque variolarum aperire ſupervacaneum erit, cum ſatis ſuperque à Richardo Mortono, & à Villiſio, nec non à plurimis aliis Auctoribus fuerint enucleata, nec ſomnia mea recoquere ſatagunt, quod in alterius tædium cadit, quæ eventum duntaxat præclari cujuſdam Patris (ut potè rara avis) aliorum cautelæ ſubiicere cupiunt. Tempore autumnali prædictus Pater ætatis annorum 36. bilioſa temperie præditus, intensè febricitans, per triduum correptus fuit nauſea, vomitione, inquieta jactatione, ſtupore comatoſo, ſeu delirio, cæteriſque ejuſdem generis ſymptomatis; Die ſecunda, vocatus, ejus curationem ſuſcepi, tartarum emeticum præbui, à quo bilioſa multa, ſupra, & infra apparuerunt; Die tertia hæſitabam de ſanguine mittendo, ſerpebant enim variolæ per totam Civitatem, (quibus tamen aliàs, ætate adhuc juvenili, prædictus Pater affectum fuiſſe memor erat:) Attamen mali accidentia novam variolarum eruptionem minabantur, qua de re ſan-

 guinis

guinis miſſionem in craſtinum deliberandam dixi; En in 4. exanthemata hùc, & illùc erumpentia, quæ paulatim creſcendo, totumque corpus cooperiendo indolem ſuam palam prodiderunt, cutim veram, atque cuticulam occupabant, ac in unum confluentia, & paulatim ſibi invicem cohærentia in ſuperficie corporis, ubique in conſpectum offerebantur; Qua re obſervata, accenſo in cubiculo igne, ægro victu tenui, atque benignis alexipharmacis munito, totum opus naturæ criticè operanti reliquendum duxi: continuatis benignioribus diaphoreticis uſque ad 7., variolæ hoc interim valdè acutæ pænè cohærebant, ac in centro ſubſidebant, vigiliæ pertinaces, febris intenſior cum ſubdelirio perſtabant; Iterum fortè agitabar de promovendo ſanguinis motu per ſectionem venæ, ut ſubleuata natura à ſarcina, quod ſibi noxium facilius expelleret, ſed cum theſaurum vitæ in ſanguine reconditum hucuſque crediderim, alias ſubrogavi morbo occurſuras vias; veſſicatoria quapropter, cucurbitulas, & ipſum laudanum opiatum diaphoretica vi præditum ſubſtituendum volui: Acceſſit in 9. dolor atrox gutturis cum difficultate deglutiendi, qua de cauſa bezoarticis, & theriacalibus, nec non decocto pectorali cum limat: cor: Cer: ad libitum ſumendo, totum negotium comiſſi, aucta plus, minuſve, juxta opus, bezoarticorum utriuſque generis doſi; Qua methodo uſque ad 14. continuata, paululùm remittere cæperunt ſymptomata, exanthemata matureſcere, ac ſeſe diſrumpere, remotis proinde veſſicantibus, tum quia ardor urinæ ſupervenerat, tum quia unam ſimul plagam variolis cohærentem effecerant, permanſit ægrotus in uſu diaphoreticorum uſque ad 21. diem, quum exareſcentes variolæ per incruſtationem exanthematum induratæ, linimento ex oleo amigdal: dul: ſine igne, cum camphora, ſublatæ & illæ fuerunt, & æger evaſit.

L X X V I I.

Pedum debilitas, & Oculorum lippitudo.

CÆcus claudum bajulans (*l'uno præſtando la viſta, e l'altro i paſſi*) Civitatem circumcurrebat Medicum conquirens, qui diligentia qua poterat confeſtim occurreret pedum debilitati, & oculorum lippitudini. Intellecta utriuſque moleſtia, laborantibus illis opem porrexi, ſequentia ſpecifica tradens.

Remedium contra pedum debilitatem, & ad velociorem corporis motum promovendum.

℞. ol: ovor:, gum: gut:, ol: lauri, ol: camomill., ol: de ſpica, ceræ novæ aā onc. 1. fiat ung: ſ: a: extendatur ſupra pellem latitudinis, & longitudinis Lienis, cui applicetur, corpore exinde faſcia bene vinculato: Eodem itidem unguento perfricentur articuli maximè inferiores perquam calidiſſime apud ignem, ut penetrare poſſit. Cum cæperit exſiccari cataplaſma lienis, indatur noviter aliud. Parùm in prandio comedendum, uberiùs in cæna, & non erit itinerantibus labor. Abſoluto itinere replicetur in articulis unctio.

Adverſus lippitudinem, atque ophtalmiam.

℞. Vini alb: generoſ: lib: iij. ÷ Mellis opt: Hiſp. lib: ÷ miſceantur & diſtill: per vitrum ad ſpiritus extractionem, qui ſervetur vitro bene clauſo. Diſtill: exinde & phlegma, quod ſeorſim ſervetur. Indantur oculo aliquot guttæ ſpiritus, qui ſi nimis acer ſit, miſceatur cum pauxillo phlegmatis. Eodem tempore (corpore purgato) præbeatur bolus ut infra.

℞. pul: Milleped: ſcrupul: ij. conſ: roſar: aut violar: drach: ij. ſic cond: per 12. dies: N. B. ervantur Millepedes à cella vinaria ex vino rubro, inque rubro vino ſuffocentur, poſtea in furno exſiccentur, & oculorum noxa recedet.

Si autem contigerit tibi oculorum inflammatio, ſume ovum ad duritiem coctum, illud per medietatem ſectum (dempto cortice, atque vitello) reple ſubtiliſſimo pulvere ligni olivæ, & deſuper oculos accomoda, ac relinque per noctem. Sanguinem, & omnem fluxionem ervit; Replica, & ſalvus eris.

L X X V I I I.

Cardialgia cum convulſionibus totius Corporis.

NON ſinit me inter graviſſimas occupationes hoc loco de ſe ſilentium agere Præclara illa innupta, quæ aliàs Emproſtotonos ſuſtulit. De repente (dum hæc ſcriberem) triſti ſenſatione oris ventriculi, animi deficientia, ſudoribus frigidis, cum convulſionibus adeo vehementibus iterum correpta, nedum metipſa motu violento concutiebatur; verum & metipſius fulcro atque cubili tremorem inferebat, jamque imminentis corporis incurvationis, cum mandibularum contractione, noviter, & manifeſtè ſigna erant. Ab acido exuberante in ſuo triumvirali humore juxta Silvium, vel ab acribus humoribus ex arteriis, & ramo cæliaco, ſivè à ſuccis exudantibus à glandulis in ventriculo ſitis, & in ſtomaci orificium confluentibus, juxta Luc. Tozzium, cardialgiam illam enatam judicavi. Forte etiam timui ferocientes ſuccos, juxta Villis ſenſum, à nerveo liquore deciduos, vel à ſanguine ſepoſitos, in meſenterio latitare, qui ſpiritus in enormem expanſionem adducerent, & indè convulſivam corporis concuſſionem efficerent. Confeſtim, prout fueram vocatus, terribili adeo morbo occurrendum duxi antiſpaſmodicis, atque opiatis. Qua de re præſcripto oleo amigd: dul: ad onc: iiij. cum elix. vitæ, & ſp: volat: ſuccini aā gut: xij. laudani opiati gr. iiij., iniectoque clyſtere emollienti, paululum quievit ſpaſmodica contractio. Commiſſis exinde pulveribus ſuccini alb. pp., antiect: Poterij, margarit: præp., cum caſtoreo, in aqua florum ſambuci, mane ſumendis, nec non oleo amigdal., nocte continuando,

nunc

nunc cum, nunc ſine opiatis, ulterius ſedabantur ſymptomata. Tandem jure alterato ranis, pullo, ſeminibus melonum, amigdal: dul: rad: chinæ & raſura eburis, bis in die propinato, cum pul. ſuccini alb: pp. ſcrup: ij., & per aliquot dies continuato, iterum evaſit incolumis.

LXXIX.

Patientia, tempus, & non interruptus remedii ſubſtantifici uſus perſæpe incurabiles morbos ſanant.

Scorbuti hyſtoria.

SÆvam quoq; ægritudinem non minus infirmioribus radicibus confirmatam quam generoſo ſpiritu abundantem, ſed in amplitudine junctam, ac pondere æqualem hic ſubnectere decerno, quam Præclarus quidam Sacerdos nedum ſtrenuè ſuſtulit, verum gloriosè ſubegit: Frequentes capitis nunc gravedines, nunc dolores, oculorum caligines, ſivè vertigines, vigiliæ, torpores, ſomnia perturbata, inſomnia terrifica, oris ſiccitas, faucium, & gengivarum pruritus, excoriatio, atque inflammatio, breviter deſinentes, & noviter recurrentes, ventriculi cruditates, murmura hypocondriorum, rugitus, eructationes ſtrepitoſæ, tenſio ſplenis, alvus adſtricta, & interdum nimium ſoluta, cum ſanguinis excretione, omnia erant ſymptomata, quæ viciſſim intima ejuſdem Patris viſcera contorquebant, ac illius temperiei ſulphureo ſalinæ teſtimonium manifeſtè perhibebant: Veſſiculæ quædam hydatides ſe breviter diſrumpentes aut duritiem concipientes, tumores longa ſuppuratione maturandi, maculæ lividæ per totum, tenueſque furunculi ichoroſi, & veluti ſcabioſi, corpus univerſum deturpantes, quibus diſruptis novi ſuccreſcebant, urinæ lixiviali colore ſaturatæ, omnia & iſta erant notæ extrinſecæ, quæ ſcorbuti intrinſecam labem ſulphureo ſalinam indicabant:

cabant: Hactenùs dictis Hydra màjor coniungebatur; Terribili nempe convulſione, nunc citius, nunc tardius recurrente, Epilepticorum more, concutiebatur, adeo ut ſurgere de repente, ac cubicula percurrere cogeretur, tanto impetu, atque furore, ut neque à 4. validis hominibus coerceri poſſet: Adveniente paroxiſmo præcox erat doloroſa ſenſatio ventriculi, quæ vel ſponte diſcutiebatur, vel in enarratas ſpaſmodicas excandeſceatias ægrum adducebat. Vera hæc eſt, & utinam vera non fuiſſet morboſa illiades, qua Reu. Sacerdos ætatis annorum 26. vexabatur, cujus curationem, ſive potius curationis ordinem malo omittere (quia nimis longus) quam alterius tædio enucleare: In compendium omnia adducam quæ demulcentium non tranſcenderunt activitatem. Purgato corpore per caſiam cum piluſ: de hier: cum agarico, & ſpet: Diamarg: frigid: Digeſtis parumper humoribus cum ſyrupo Cachet: Fernelii: Refrigerato (juxta Avicenam) ſanguine per ventillationem venarum hemòrroidalium: Soluta frequenter clyſteribus ex lacte alvo: Emendatis, atque dilutis muriaticis ſalibus oleo amigd: dul:, nec non uſu ſeri lactis herbis balſamicis, & levioribus antiſcorbuticis diſtillati. Tandem non interrupto ſequentis remedii ordine, abſoluta fuit curatio. ℞. ſalſ: parigl: el drac: ij., rad: chinæ drach: vi. lig. buxi drac: 1. ſaltal: alb:, ligni viſquerc: aā drach: 1. raſur: ebur: drach: ij. aq: fontis lib: v. inf. & bull. B. M. per horas 4. poſtea colentur, tum adde pullum exanteratum, atque repletum rad: valerian:, flor: tiliæ, ſterc: Pavonis, cum fol. cichor:, & borraginis aā.q. 5. ranarum mundat: lib. ÷ coquantur ad lib: 1: ÷ in tres partes dividend: & ſumend. ſummo mane, hora una ante prand:, & hor: 2. ante cænam, cum pul: ſuccini alb. pp., cinabar:, cranii humani, Caſtor: aā gr: vi:. Paroxiſmus Epilepticus arcebatur oleo ſuccini, & ſpiritu fuliginis: Gengivarum eroſio, tinctura laccæ: Vino interdicto, aqua noceriana ſubſtituebatur: Curatione abſoluta, præſervationis gratia, ad uſum the compoſiti, illum adduxi, ſcilicet ad leve decoctum drachmarum duarum rad: chinæ cum raſur: eburis drach: ÷ ſumendum ſingulo mane cum confer: liliorum convallium onc: una & pul: Marchionis drac: ÷ Nec mali vibex illius in corpore ſuperfuit.

LXXX.

LXXX.

Scorbuti altera hyſtoria hyſterico coniuncta.

TAlis patientiæ æmula, ac gemini fermè morbi parens fuit Nob. quædam Vidua 38. annum agens, bilioſa temperie prædita, habitus corporis gracilis, coloris ad lividum vergentis, quæ quamplurimis diris præternaturam affectibus vexabatur, affectionem hyſterico ſcorbuticam manifeſtantibus: Atque ut ab ovo exordium ſumam, notandum eſt, vivente adhuc coniuge, ob occaſionalem cauſam perturbato mulieris ſuccorum fædere, ac depreſſa vi Rectoris Archæi omnes illius cepiſſe languere fermentationes, primumque quæ in ventriculo fit, hinc ſummus ſtomachi dolor, & languor, imminuta menſium evacuatio, dolores vagi hypocondria excurrentes, caput, brachia, & fæmora acriter moleſtantes, cum ſævo dentium dolore, & gengivarum eroſione, à quibus minima data occaſione, ſanguis acer, & ſalſus emanabat, cum ipſorum dentium livore, nigredine, vacillatione, nec non aliquali oris fœtore: Poſt mortem, Mariti plaga major ſuccrevit, hinc puſtulæ infra regionem epigaſtricam, quæ furunculorum more ſuppurabantur, prurità intenſo, ſanguiniſque fuſione: Spontaneæ laſſitudines, borborigmi, flatus acredinem redolentes, vertigines, ſuffocationes, ſpuriæ membrorum paralyſes, rigoreſque per ſpinam decurrentes, omnes erant notæ contractæ labis ſalino ſulphureæ, urinæque ut plurimum crudæ, corporis extraordinaria ſtipticitas, atrophia totius corporis cum notabili tenſione in hepate, ulterius labem ſcorbuticam manifeſtabant. Ut cauſam ſævæ adeò ægritudinis enodarem, ſic procedendum duxi; *Ex utero morbi fiunt, cum menſtrua defficiunt* ex Hipp., *ventriculus* à Gal: *mari aſſimilatur*, qui toti corpori mala communicat, ab eodemque recipit in hujuſmodi corporis affectuum diluvio. Vitiatæ propterea aliquam ob occaſionalem cauſam primæ digeſtiones, exaltato ſucco pancreatico, & auſteriuſculo reddito propter diſtractionem, dulcificantis ſpiritus, omnes languere debuerunt ejus corporis fermentationes, totque immanes ægritudines pullulare: Aceſcente, &

 craſ-

craſſeſcente chylo juxtà, & infra Pylorum, acida, & tenax congeries, glandulas Meſenterii, & Pancreatis invadere, atque infarcire potuit, ac uſque ad ſanguinem, morboſum caracterem continuare: Sicque ſanguis chylo non ritè elaborato infectus per filtratorias glandulas excerni impotens evaſit, quapropter irritando fibras acredine, & juſtum profluvium impediendo craſſitie, cauſatis quodamodo obſtructionibus, uterinis in vaſibus, abolito, ſi quod eſt, uteri fermento, detineri, aut imminui debuerunt metipſa menſtrua, quæ ſanguini, & ipſi ſucco nerveo ulteriorem labem porrigentia, ipſumque craſſum & mucilaginoſum efficientia, ultrò temperiem ſalino ſulphuream, adaugere valuerunt, viſcera infarcire, limoſas fæculentias hinc indè affigere & Nob. patientem in tot acutiſſimæ ſepetis dumos adducere.

A dira morborum phalange, ſpatio annorum 10., Nob. Mulierem ervere tentaverunt diverſi Profeſſores, ſed incaſſum, quia ſanguini fortiora calcaria addentes, morbum diverſimodè exaſperabant. Vitam ipſius jam in diſcrimen adductam, ſtudui & ego à faucibus orci ervere, atque Dei auxilio exitum res habuit non à voluntate alienum. Edoctus documento Gal: de conſimili morbo ubi ſic: *monendi ſunt mihi Amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuque humido, bonique ſucci, nullo alio adhibito remedio hujuſmodi me morbum curaſſe*; Interdictis omnibus purgantibus, omnibuſque remediis ſale volatili præditis, ſolis demulcentibus curationem ſuſcepi, ſcilicet primò balnea, & ſeri lact: deſtill: uſum ineundum mandavi: At quia morbus, in tota ſubſtantia translatus, niſi ſubſtantifico remedio auferri poterat, conſonum duxi ægram adducere ad decoctum ex rad: chinæ, ſalſ: parigl:, raſ: cor: Cer:, ebur:, ligni buxi, viſquerc:, ſantal: alb., cum carne viperæ, & pullo ſem: melon:, & amigd: dul: fol: cichor. & borrag. repleto cum ranis, & carne teſtudin: nemoral: per B. M. paratum, ac in tres partes dividendum, inque mane, ante prandium, hor: 2. ante cænam ſumendum, cum pul: ſuccini alb:, ſcr: ij:; quieverunt ſymptomata, perſtante duntaxat ſtomaci dolore, qui neque opiatis demulcebatur: cogitare incæpi de proprietate, & virtute cort. Perù, nec fruſtrà, nam ejus beneficio, & uſu per 30. dies continuato, peremptus fuit, & ille acutiſſimus dolor. Decocto vincæ pervincæ oris vitia compeſcebantur: At non remittente dentium dolore, neque gengivarum putredine, aliquid & cogitavi de virtute tranſplantatoria, qua de re, accepta Perſicaria, & per aquam currentem tracta, dentibus, & gengivis confricata,

ta, inque loco humido defoſſa, ut putreſceret, gengivarum putredo, dentium dolores evanuerunt: Neminem edocere intendo, ſed quemlibet perſuaſum vellem, multum latere in medicina transſplantatoria, ſuper quam rem conſulendus Paracelſus, nec non Millius in ſua Baſilica Chimica cap: de perſicaria, de hippericone.

LXXXI.

Tertia Scorbuti hyſtoria.

IN Xenodochiis pariter Reggiminum, quorum cura (ſi mea me ſomnia non fallunt) mihi pluriès comiſſa fuerat, ſcorbuticorum non pauci offerrebantur, in quibus revera ſal prædominio potitus, ſed magis fixus ſibi met ſulphureas particulas aſciſcens, limoſas fæculentias, craſſamque illuviem viſceribus infigebat, & non niſi remediis calidioribus, & acutiori aculeo præditis, nec non fortioribus chalybeatis debellari, ac emendari poterat; Ubi decocta lignorum ſtibiata, naſturtium, trifolium, coclearia, vel ejus ſpiritus, beccabunga, buxum, ſumitates pini, extract. guajaci, ſalſæ, cum pul: viperino, & Balſ. Perù, convenienti cuſtodia adhibita, profuerunt; quo remediorum apparatu, qui incurabilem in parte organica non cotraxerant labem, aut quos remedio ſubſtantifico, ex Chiliarcharum liberalitate ſubveniri potuerunt, incolumes evaſerunt. Illorum autem nonnullos longo ſolius ſpiritus ſalis dulcis uſu (qui totum hominem renovare dicitur) in vino abſintites, curatos vidi: Ubi vero ſanguis copioſus à gengivis emanabat, lapidem ſtiptieum adducebam, cujus uſus etiam internus in fluxionibus ſanguinis contumacibus non raro adınirabili eluceſcit experimento, præſertim ſi à prudenti Medico, prout neceſſitas, opiatis miſceatur. Nec extra rem illum hic ſubnectam. ℞. aluminis crud: bis aut ter purificati onc: iij fundatur in crucibulo, agitando ſpatula lignea, tum fuſo adde ſanguin. Dracon: drach: vı., effundatur materies ſupra marmorem, donec in lapidem concreſcat, ſervetur ad uſum.

LXXXII.

Pul: pirii virtus in Pleuritide:

ARcis bellicæ apodyſteria Sancti Angeli Romæ à Burro occupata percurrens, pul: pirium involutum papyro ſignato *tormentum Pleuritidis*, inveni: Pulverem in trutina poſitum (num ad pleuritidem conferre poſſet) æquum ac bonum diſſolvens judicavi: Cumque quædam Nob: Mulier pleuritide laborans 11. percurreret morbi diem, omnibus irritis, quæ ordinaria medendi methodus ſuppeditat, experimentum feci de arcano ad drach: unam in aq: Card: Bened: onc: iij., à quo tam copioſus ſudor emanavit, ut exindè ſtragula omnia cum anaclinteriis removeri debuerint, ac ſi perlabens unda illa præterfluiſſet. Hac uberi evacuatione peracta, omnia remiſerunt ſymptomata: Continuatis proinde benignioribus diaphoreticis, in 14. Mulier, (quæ jam deſperato remedio animam agebat) convaluit. Experimentum ſpecifici aliàs feci, nec facti me pœnitet.

LXXXIII.

Pleuritis intra 24. horas curata.

QUum ſydus damnoſum, canicula, iis diebus in medio Cœli centro eſſet, coniunctumque cum Sole duplicaret calorem, ac corpora nimio calore mordere videretur, à quodam prægreſſo labore correptus fuit quidam Rev. Clericus ſubitaneo, & acutiſſimo lateris dolore ſcapulas aſcendente, febre vehementi, tuſſi, difficultate ſpirandi, cum inſenſibili ſanguinis expectoratione: vocatus, adii ad illum, cum adhuc eſſet in hora 5. invaſionis morbi: confeſtim, præmiſſo clyſtere, duas ſanguinis extractiones à brachio ſcilicet oppoſito, & à pede faciendas volui, ac copioſam emulſionem cum ſale prunelę præbendam mandavi. Sęviente adhuc dolore

cum

cum febris continuatione, poſt alias ſex horas, iterum ſanguinem copioſum à parte affecta extrahendum duxi, continuata uberiori emulſionis potione: Summo mane diei ſequentis, illum inviſendum acceſſi, quem ſine febre, ſine dolore, omnibuſque remotis cruciatibus benè ſe habentem inveni.

LXXXIV.

Cantharidum effectus, & curatio;

VIam callo perducatam aggreſſus, citius ut in Patriam reverterer, cujuſdam prati in medium me limes adduxit: Horrendum, ac dictu vidi mirabile monſtrum. Ad ganeum, ſeu formoſas inter lamias me adductum prima fronte timebam; Reſectam herbam inſolantes, & repente certatim mingentes, ac manibus naturæ, & ventre humo admotis, ſe ſe circumfricantes, pudendi inflationem muſſitantes, nuptas, & innuptas quaſdam Mulieres proſpexi, quæ tandem, voce in altum ſublata, plorantes, urinæ intenſiſſimo ardore vexari dixerunt. Cunctantior illis occurrere nequaquam fui, cauſaque adeo ſevæ diſuriæ diligenter inquiſita, dolum detexi. Præſidebat illis quidam ruſticus veſano amore percitus, & neſciens quo modo de illis triumphare, ſatis magnam pul: Cantharidum copiam vino accomodavit, quod illis bibendum deſtinaverat. Compotato à Mulieribus vino, tam acriter torqueri debuerant. Curationem aggreſſus, oleum amigdal. dul:, lac Vaccinum, copioſas emulſiones ex amigdal: dul:, ſem: melon:, & papav: alb:, fercula ex pane in lacte cocto, confeſtim commiſſi, nec facilis fuit curatio, quibuſque continuaverat pudendi inflatio, ſemicupium ex lacte herbis emollientibus alterato ineundum decrevi, ac tandem polenta oleo amigdal: dul: confecta, convalluerunt.

LXXXV.

Erroris figura.

Arſenici effectus, & curatio.

HOmo veſte viatoris indutus, obvelatis oculis viam baculo pedetentim perquirens, ſola ignorantia duce, ex improviſo occurrit in platea Medicum indagans, ut confeſtim accurreret ad mulierem quamdam, quæ florem caſiæ arſenico (loco cremoris tartari) miſtum ſumpſerat: Quapropter animi deliquia, capitis dolores, lateris punctiones, dejectiones ſanguinolentæ, pulſus debilis, cardialgia, & color cutis lividus, atque nigricans, non ſerò ſupervenerunt. Detecto errore, vomitu per tartarum emeticum excitato, frequenti uſu olei amigdal: dul:, clyſteribus ex lacte, nec non lacte caprino cum criſtall: montano bis in die exhibito, intra ſeptem dies convaluit.

LXXXVI.

Opii effectus, & curatio.

ABſoluta ſupradicta curatione, idem mihi digito monſtravit Monialem quamdam, quæ incautè ſumpſerat drachmam dimidiam (loco dimidii ſcrupuli) pilularum de Cinagloſſa. Propterea incidit in Coma ſomnolentum, à quo excitata, iterum in ſomnum relabebatur. Aperta morbi cauſa, propinato emetico, exhibita mixtura ex aqua theriacali cum confect: hyacint: & alchermes cum caſtoreo, nec non caſtoreo aceto diſſoluto, naribus, fronti, atque temporibus aptato, vinoque exhibito, curatio abſoluta eſt.

LXXXVII.

L X X X V I I.

Iuventutis imago.

Minii effectus, & curatio.

JUremeritò juventus variis amicta coloribus, ſertum ex floribus contextum gerens ab Antiquis cælata fuit, quia juvenilium affectuum, ac deliberationum varietas, non melius quam in colorum diverſitate, e florum imbecillitate indicatur. Specie capitur, & rationis oblita, dat ſe ubique præcipitem, pluriesſque occiditur gula quam gladio. Graphicè argumentum exornare videtur caſus illius Nob: Juvenis, qui juvenilis appetitus oblectamento magnam illarum hoſtiarum copiam comedit, quæ vulgo ad ſignandas epiſtolas minio imbutæ adhibentur: An hoc effecerit aurei illarum coloris illectu, an ut altis in viſceribus ſuos cuderet amores, certè neſcio. Stomaci proinde languore, capitis gravedine, nauſea, animi deficientia & corporis laſſitudine laborare cœpit: Succreſcentibus ſymptomatis, poſt ſex dies, miſit ad me, atque ſymptomata, & morbi cauſam aperuit. Minium utpote recrementum metalicum ab argenti cavis evulſum, ac venenoſum, quia crudo ſulphure Mercuriali, duro, & arenoſo turgidum, nullave præparatione emendatum, potuiſſe corrumpere fermentum ſtomaci, ac vitales ſpiritus profligare minime dubitaveram. Cauſam idcirco removentibus, curationem aggreſſus, emeticis videlicet, ſatis magnam illarum paſtarum copiam evellere ſategi, cumque & magna earum portio in tunica villoſa ventriculi manifeſtaretur frequenti ac moleſto ſingultu, diluentibus, & oleo amigd:, dul:, illam amovere ſtudui, iteratoque pul: emetico ut ſurſum, & deorſum expiarentur primæ viæ, cardiacis exinde & theriacalibus atque hyacintinis confectionibus curatio abſoluta eſt.

LXXXVIII.

Figura Hominis ambigui.

Veneni cauſæ intus geniti, vel ab extra ſuſcepti ſigna, & diſtinctio.

IMberbis ille juvenis tenebrarum caligine involutus, verſicolorata veſte indutus baculum dextera, & ulcanum læva, in cornu incluſum gerebat, pedes hinc inde dimovens, quo ſe verteret neſciens, qui viſus eſt mihi ad me venire conſilium petens, quo modo venenum intus genitum & ab extra ſuſceptum diſtinguatur, quem ut ab ancipiti cura, in qua verſabatur erverem, ſequenti notatione erudivi. Congeruntur perſæpè in corpore humano adeo pravi ſucci, ut ex levi occaſione corruptionem ineant, & qualitatem deleteriam concipiant ex Gal:, quæ deleteria qualitas adeo ſimilis eſt his, quæ ex epoto veneno gignuntur, quod ex ſola victus præcedentis cognitione diſtingui poteſt, nam qui ſanorum more educatus, cibis probis uſus fuerit, indeque laudabilibus humoribus abundat, ſi de repente ſanguinis mutationem, fixionem, fuſionem, ſivè corruptionem, ac ſpirituum profligationem, aut viſcerum quamdamlibet ſubverſionem ſubeat, ſuſpicandum erit à venenato pharmaco hoc factum fuiſſe. Qui autem cibariis pravi ſucci, atque eduliis vitioſæ qualitatis fuerit uſus, & inde ſanguinem qualitate peccantem in venis congeſſerit, & repentina naturalis ſtatus mutatio fiat, cenſendum erit ex intrinſeca occaſione, ſcilicet ex propria humorum qualitate prava hoc evenire, & inde etiam icteritiam enaſci, de qua locutus eſt Hipp: de morbis. Signa autem eorum, qui intrinſeca occaſione per quamdam ſanguinis extremam corruptionem quaſi veneno infecti ſunt, ex Hipp: de morbis, aſſignantur veſtimentorum contactus moleſtus, ex inedia, laceratio, & mordicatio circa viſcera, vixque patiuntur Adſtantium ſermones, ac eorum erga ſemetipſos commoda anxioſi, iracundi, impatientes, ac faſtidioſi adeo evadunt, ut vix conſortia hominum tollerare poſſint; Urina malicorium præſefert, denotans colliquationem, non ſolum ſuccos, ſed & membra attigiſſe; Qui verò à veneno extra ſuſcepto inficiuntur diagnoſticis his ſignis carent.

LXXXIX.

Obeſitatis remedium facile, atque ejus effigies.

ARboris Olivæ ramulum, fructus non frondes habentem, in dextera, atque Cancrum Marinum in læva gerebat illa Mulier, quæ me plateam pertranſeuntem vocavit (pinguedinis imago erat). Temporis momento ad illam occurri. Supplex petiit, ut remedium contra ejus obeſitatem porrigerem, venuſtèque in ſequentem diſſertationem me ſtantem adduxit.

Obeſitatis immoderatæ remedium, erit ſomnus poſt exercitium nullo aſſumpto cibo, quia tunc tanta fit reſſolutio, ut ex neceſſitate amittatur nimia illorum craſſities, & obeſitas. Sic Hipp:, & Gal: de morbis vulg. *dicunt ſomnum multum exſiccare immodicè evacuatum*, corpora enim evacuata ſive exercitio, ſive aliter, dum dormiunt facilè contabeſcunt, quia callidum nativum in ſomno cum ſit robuſtius abſumit humidum ſubſtantificum omnium corporis partium, ita ut ſomnus per accidens exſiccet, & calefaciat augendo calorem nativum; Secundò quia ſomnus ciborum coctioni, atque virium refectioni eſt addictus, cumque humor alibilis in pabulum caloris deficiat, quod ille calor inditam in corpore ſubſtantiam abſumat neceſſe eſt, ob quas rationes ſupraſcriptum remedium extenuandi corpora obeſa, ſomno ſcilicet poſt exercitium nullo aſſumpto cibo indulgendi, per quam neceſſarium judico.

X C.

Imago Somni.

Cur ſomnus diurnus ſit fugiendus.

VIro obeſo & gravi pelle Taxi amicto, ſupra lectum papaverum, quem vitis nodoſa maturis uvis onerata inumbrabat, prope ſpecum, jacenti, ubi currentis aquæ rivulus murmurabat, flagitanti cur ſomnus diurnus ſit fugiendus, per quam breviſſime reſpondi bifariam ob cauſam non juvare ſomnum diurnum, primò quia ſpiritus animales ſunt lucidi, & dum ad intra ob ſomnum retrahuntur à lumine Solis interdiù diſperſo per Orbem avocati, majori cum violentia in parte interiori cerebri continentur, fitque motus naturæ, & tranſpirationi contrarius, qui violentiam inferendo, moleſtias etiam corpori affert: ſecundo quia docemur à Sanctorio de ſtatica medicina in quovis corpore excrementa inſenſibiliter exhalare in majori quantitate & pondere, quam ſint omnes excrementorum evacuationes ſenſibiles ſimul unitæ, datque Gal: commune conſilium in ſanis, & ægris corpus reddi debere undique fluxile, & tranſpirabile, quia à prohibita perſpiratione putredo, & omnia fere mala exordium habent, cumque tranſpiratio uberior exercitiis diurnis fiat, quam nocturno tempore, in quo calor ſolam coctionem intendit, igitur ceſſante corporis exercitio cohibetur perſpiratio, & lentum de cortice gluten fundat imperium, proinde ob iſtas cauſas ſomnus meridianus eſt fugiendus.

XCI.

Pul: ſympatici vera deſcriptio.

MIrantur multi pulverem ſympaticum illos non ſortiri effectus, quos ſpondent Auctores: Non temporum mutationes, ſed compoſitionis inſcitia iſtius ſicut, & aliorum remediorum vim, & robur enervavit: *Longe*, propterea exclamat Crollius, *fructuoſior in Republica Medica redundaret utilitas, ſi noſtri temporis Bottanici, ideſt Pharmacopolæ, formæ internæ mineralium, ac herbarum ignari majorem diligentiam in dignoſcendis earum ſignaturis adhiberent curam.* Quam ideò componendi pul: formulam, quæ neminem fallit, peculiariter didici, neminem latere volo. Accipitur vitriol: albi ſubtiliſſime pulverizati q. ſ. inditur vitro cum ſuo cooperculo vitreo, lutatis juncturis, exponitur per totam Æſtatem, diebus ſcilicet canicularibus Solis radiis; Deficiente Sole aufertur ab aere, & reponitur in loco calido æqualis gradus caloris Solis, quod Termometri beneficio facile obtinetur; hac diligentia non adhibita, pulveris compoſitio vana erit. Serva pulverem in vaſe vitreo bene clauſo, quo utere in quacumque ſanguinis emanatione; In dentium doloribus, extracto, per cuſpidem ligni à gengiva ſanguine, dolorem ſedat, ſi cum pulvere ſanguis ille miſceatur, donec fermenteſcat.

XCII.

Amor Virtutis.

Meditationes, ac ſtudia valde conferunt ſanitati.

NUdus puer, laureato capite, tria viridioris lauri ſerta præ manibus habens occurrit mihi in via, flagitans, an meditationes, & ſtudia poſſint conferre corporis ſaluti. Illum veram eſſe amoris virtutis effigiem credidi, qui in laureis ſertis, nec corruptionem pati,

nec ullo circumſcribi termino indicatur. De re propterea adeo dubia conſultus, reſpondi, quod ſicut meditatio juxta Hipp. 6. epid., eſt hominibus animi exercitium, ita meditationes, ſtudia, ſpeculationes ad hominum ſalutem conferre me quoque credere, & ratio colligi videtur ex Gal: ubi innuit, ſanitatem corporis conſervari mediocribus motibus tum corporis, tum animi, quorum ſicuti damnat exceſſum, ita & defectum increpat. Cerebrum eſt glandula major pituitæ Metropolis, ubi perſæpe colligitur ſuccus, ſive lympha, ſive humor craſſus multorum morborum prodromus, qui per opportunos, & naturales meatus perſæpe ſecerni non poteſt, nec melius abſumitur quam ſenſibili ſpirituum animalium alteratione, quam in organo ſenſorio inferunt meditatæ exteriorum obiectorum ſpecies, quo tempore fibræ nerveæ ſpiritibus inflantur, dilatantur, contrahuntur, flectuntur, curvantur, ac diverſimode pſaliendo perenni actione à ſtudiis habita ſuaviter commoventur, à quo motu collectus in cerebro humor atteritur, cerebrum defæcatur, ejuſque ventriculi dilatantur, & faciliori negotio materies ſupervacanea, vel digeritur, vel ſecernitur, atque animal tutiori valetudine vivit, & meditationes fructum ſalutis afferunt.

XCIII.

Peregrinationis effigies.

Aeris humiditas quomodo metiri poſſit: Cautio adhibenda in uſu ſpiritus vitrioli: Antiepilepticum ſatis validum.

EN mihi vir quidam caput per dimidietatem deraſum habens, ſimiliter & mentum: Dextera ab ejus capitis parte capilli longiſſimi deſcendentes ſcapulas obvelant, ſic & à dextera menti oblongi, & hirſuti pili decidunt: Ægyptiacum illum credo: Verum cum dolon, ſive haſtam præ manibus habeat, cujus ſumitati nixa adhæret hyrundo, illum Peregrinum eſſe agnoſco. Jam properat ad me,

me, & actu ſalutationis vix venuſtè habito ſtipem petit, ervitque à quodam marſupio exotica ſpecifica papyro ſignata, eaque mihi porrigit. Videamus quid continet charta.

Aeris humiditas quomodo metiri poſſit.

Sumitur tartarus calcinatus, vulgò alumen fæcis, exponitur nocturno aeri: Antequam exponatur aeri, exactiſſime perpenditur: Mane iterum perpenditur: Semper enim expoſitus aeri magis ponderat, & ſic pro varietate ponderis dicendum, majus pondus majorem humiditatem, minus autem minorem in aere dominari.

Cautio in ſpiritu vitrioli adhibendo.

Si ſpiritum vitrioli plurimum damni, nihil auxilii perſæpe afferre videris maximè in ſupprimendo ſanguinis ſputo: eam ob cauſam evenire ſcias, quia ſpargiricorum nonnulli formæ internæ mineralium ignari, aut ſui marſupii potius, quam aliorum ſalutis amatores, indiſcriminatim tam à Romano, quam à Germanico vitriolo ſpiritum eliciunt, neſcientes, aut ignorare volentes vitriolum Germanicum utpote ab æris fodinis evulſum plurimùm corroſionis, nihil ſtipticitatis inferre natum eſſe.

Antiepilepticum ſatis validum.

Accipe omnes illas hyrundines adhuc deplumes primi fætus, quæ uno in nido ſubſident: Exſiccentur in furno, fiat pulvis, qui miſceatur cum Margarit: orl: pp:, mumiæ animalis veræ, ſaccari candit aã drach: ij., fiat omnium pulvis, dividatur in tres doſes Lunæ decreſcente ſumendas cum jure gallinæ nigræ proprio ſanguine coctæ. Vinum hoc interim (aqua interdicta) potato, & bene tibi erit.

XCIV.

XCIV.

Iracundiæ ſymbolum.

Num ira ad ſalutem conferat, ubi innuitur quando illa excitanda, & quando non.

VIR quidam, qualis ab Ariſt. 6., & 9. cap. de phiſonomia pingitur, ampliores ſcapulas habens, facie tumida, oculis rubeis, fronte orbiculata, naſo acuto, naribus apertis, armis undique cinctus, totam everſit Socordium Academiam, quærendo, num ad corporis ſalutem ira conferret. Albo illorum gymnaſii adſcriptus & ego, ſolutionem quæſiti illi viro enodandam mihi conſocii commiſſerunt. Ut tanti Viri animo ſatisfacerem illum apud Galenum & Hipp: de morbis vulgar. una mecum adduxi, ubi ſic: *Vitetur ira cum cor, & caput naturali intemperie ſupra modum calidiora ſunt, aut aliquo adventitio calido affectu laborant: excitetur vero in frigidis vitiis, & natura frigidiore, corde, & capite, nec non totius corporis temperatura frigidis exiſtentibus*. Si enim calidior quam par ſit, aut morbo, aut natura fuerit, maximopere ab iracundia offendetur: Iſti autem contraria maximopere juvabitur. Idem tradidiſſe videtur Hipp: de morbis vulgar. dicens: Danda eſt opera ut ira excitetur, & caloris, & ſucci recuperandi cauſa, quod confirmare non extra rem duxit Euſtachius Rudius, ſi te non piget illum conſulere propè finem libri tertii de morbis partium, igitur & iram ad corporis ſalutem conferre poſſe tu ipſe vides, quam tamen ſine peccato ſuadet & ipſe David.

X C V.

Morbus ex ſtudio, curis, vigilia, Venere, & quavis alia cauſa quæ inanitionem inferre nata ſit, quomodo curandus. Memoria quomodo corroboranda.

QUemadmodum capitis temperies naturaliter debilis non medicamentis validis, ſed ſenſim, paulatim, leniter, & blandè recta victus ratione, & exercitiis confirmanda, ſic quilibet morbus ex ſtudio, curis, vigilia, venere, ac quavis alia cauſa, quæ inanitionem nata ſit inferre, vel ſpiritus & calorem infirmare, ac minuere, nec non caput, vel quodcunque aliud membrum frigidum aut ſiccum efficere auxiliis evacuatoriis non indiget, ſed his remediis, quæ corporibus hecticis, & atrophia laborantibus conveniunt, & facile in ſpirituoſam, & alimentoſam ſubſtantiam commutari poſſunt: Sic memoria naturaliter debilis nullo modo corroboranda violentis, & acribus medicamentis, à quibus potiùs, juditio confracto, vacillant patientes, & doloribus miſerrimè cruciantur, ſed victu, exercitiis, ac frequentibus ſtudiis, ſeù diligentiori animi attentione augenda, quæ enim ad medicinam pertinent, memoriam roborare non poſſe, communiter aſſeritur.

XCVI.

Regio mutata, mores & fortunam mutat, & in morbis longis qua ratione conferat.

INcunabula Tullii Hoſtilii agreſte tugurium cæpit: ejuſdem adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata: Validior ætas Imperium Romanum rexit & duplicavit: Senectus excellentiſſimis ornamentis decorata in excellentiſſimo Majeſtatis faſtigio fulſit, verum Tullius etſi magni & admirabilis incrementi, domeſticum tamen exemplum eſt. Cur autem Hipp: de morbis vulg: dixerit, *in morbis longis terram mutare commodum*, inquirens, rationem inveni, videlicet quia in morbis diuturnis cauſa, & effectus quodamodo connaturales fiunt, cumque varietas temporum, & Regionis, in qua quis nutritur permutet naturam ipſam, ideò non meliùs natura ipſa mutari poteſt quam Regionis mutatione, à qua etiam connaturalia, mutantur: Reſpirando vivimus, & ut Villis aſſerit, eadem *nobis incumbit neceſſitas reſpirandi, ut piſcibus in aqua degendi*, ergo introſuſceptis per aeris inſpirationem purioribus nitri particulis paulatim, & leniter emendabitur vitioſa ſanguinis diatheſis, & contracta in viſceribus labes ſenſim auferetur, & rarefactus per aeris, vel climatum mutationem, qui cerebri anfractus occupaverat, ac ſpiritus ſegnes effecerat humor, promptiorem hominem, & in operibus excellentiorem reddet, ac fortunam illi undique propitiam ſternet: Quæ autem Regio in quolibet morbo ſit eligenda, videatur Mercatus de intern: morb: curatione, & maximè cap: de Epilepſia.

XCVII.

Guſtus idea.

Vinum generoſum nive refrigeratum an magis refrigeret, an calefaciat.

TRanſeunte per quamdam aulam (ut cubiculum ingrederer ubi jacebat infirmus) Vir quidam calathum variis fructibus repletum in dextera gerens, atque in læva ſapidum & pulcherrimum perſicum habens, menſam hilari fronte reſpiciens cui adhærebat œnophorum vini glacie refrigeratum, ſciſcitatus eſt à me utrùm vinum generoſum nive refrigeratum refrigeret: Mehercule, reſpondi, nec per ſe, nec per accidens refrigerare illud poſſe exiſtimo, non per ſe, quia uti generoſum ſemper calefacit, non per accidens (nive videlicet, aut glacie refrigeratum) quia per actualem illam frigiditatem ſtomacum, ac viſcerum meatus conſtipando, & obſtruendo, atque fluxibilitatem ciborum, vel humorum prohibendo, non poteſt niſi inducere maximum calorem, quia calor eſt effectus motus, & quod naturaliter ſive juxta ordinem naturæ non poteſt ſecerni, filtrari, ac diſſolvi, ulterius motum intendere ſolet, atque calorem adaugere, igitur vinum nive refrigeratum quomodocumque conſideretur, ulteriorem calorem viſceribus infert.

XCVIII.

Diverſitas Regionum idem perſæpè non admittit remedium.

VEris aura ſpirante, paſſeribus ac luſciniis propè domicilium jucundo concentu obſtrepentibus, in dulcem adhuc ſomnum

matutino tempore me abeuntem ſentiebam, quando ex repentina januæ concuſſione ſomniculoſo mihi feneſtram petenti cujuſdam advenæ famulus remotis à Regionibus ſcriptam, ac mihi maximopere gratam detulerat epiſtolam, in qua gentilem mihi nonnulli Juniores deferebant quærelam, nonnullas dictatas animadverſiones, ſive potiùs deſcriptas receptas expertos fuiſſe non propriè meam juxta ſponſionem ſortiri effectum. Hujus rei cauſam mecum perpendens, agnovi, hoc evenire quia corporum conſtitutiones, & effectus animorum, ſecundum climata Orbis, ac pro ſitus Regionum, Urbium, & aquarum natura variantur, ideò victus & remediorum rationem quoque variare neceſſe eſt. Ut cuicunque loco peculiaris eſt genius, ita quoque proprii ſunt locorum morbi; & ſua cuique medicamenta. Quemcumque Medicum oportere horum eſſe gnarum integro libro Hippocrates docuit.

XCIX.

Inanis operis terminus, atque effigies.

DUM placidæ membra indulgerem quieti, oculoſque ſomno, videbar dormiens arrepto gladio flammam ſeccare, mox aquam in mortariolo tondere, inde Ethiopem lavare. Viſione peracta, pro certo habui inutile opus non niſi à me inutiliter exaratum fuiſſe, ſive propter requiſiti ordinis defectum, ſive quia acerbo nimiùm noſtrorum temporum fato labores omnes illorum etiam contemnuntur, quibus publicæ utilitati conſulere animus eſt. Hac mecum veritate diſcuſſa, pænituit dies commiſiſſe ſomno, noctesque labori; quocircà vix experrectus, antequam de more plateam adirem, ad amæni collis verticem me transtuli, ut conſilium à Sole peterem. En' interim, dum figo lumina Orientem verſus impatiens moræ pro expectata luce; En' inquam vox quædam in auribus meis ſic reſonans. *Solem quære in Occidente*. Vix verba audieram, illico credidi ſermonem ſtare pro conſilio Stratonis à ſæculis inaudito quidem, ſed proprio ſugeſto famulo, quem ſibi in communi Tyri ſævitie expertus fuerat miſericordem, cum cæteri mactatis impiiſſimè Domi-

Dominis, ſuſcipere Urbium regimen, Regnique gubernacula audacter præſumerent: Re tamen altius, ac meliùs perpenſa, illam eſſe alicujus fidi Acatis vocem indubitanter agnovi, quæ meos hortabatur ſudores, ut ſorte ſua contenti, taciti privata fruerentur gloria, quin vana oſtentatione per Orbem diffuſi vulgi detractoris experirentur ludibria. Hæc ſunt igitur ſomnia veri imaginem præſeferentia; adeo ut & mihi liceat dicere, quod de ſe ipſo juremerito ſcripſit Auſonius: *Utilius mihi dormire fuit, quam perdere ſomnum, atque oleum.* Quomodocunque tamen res ſe habeat, in publicum prodire, ac ſtare decerno, ac volo: ſi pigri, ſi quoque tardi hiſce temporibus arma capiunt, cur non ego? Audaces fortuna juvat. Quod ſi alicui non bene viſa erunt hæc ſcripta, juvabit profectò repetere. *In Occidente Solem quære*: Videlicet ſi mei labores tuo undequaque non conformantur genio, verte terga libello, (demptis, quæ Præclariſſimorum Virorum nominibus adornata ſunt, foliis) ut mei ipſe liber humorum tuorum Occidenti inſerviat: quoniam Auctoris idea eſt non legem dare, ſed omnibus undique prodeſſe.

C.

AVGVSTO publicam, MECÆNATI tutam, OMNIBVSQVE longævam ſalutem auſpicatur auctor.

Salutis conſervatio, & Corporum lubricam ſanitatem habentium præſervatio quomodo obtineri poſſit.

ALto demùm ſedili inſidens Mulier pateram præ manibus habens, propè Altare, ubi eminens, in ſe collecta, elevato capite, jacebat anguis (dum finem inanibus hiſce laboribus meis imponere volebam) in ſomnio mihi apparuit. Hanc juxta veterum intelligentiam, veram eſſe, ac formoſam ſalutis figuram credidi; nec extra rem, Altare enim apud antiquos ultimum erat illorum aſylum, qui ultrices Hoſtis manus aliunde effugere minime poterant; Sedile quietem indicat, præſertim cum per pateram mediis potionibus medicinalibus ſalus perſæpe obtineatur. Anguis, quia membrana vernationis relicta, renovatur, & ob ejus proprietatem ſuis, aliorumque medetur ærumnis, ob quam cauſam OMNIPOTENS ILLE DEUS Moiſi ædificandum mandavit æneum colubrum ſupra lignum, ut quiſque vulneratus ſolo illius aſpectu convaleſceret. Quatuor igitur ſalutis primariæ cauſæ ex hac figura colligendæ ſunt, videlicet DEUS, qui pro Altare indicatur, à quo omne bonum: Medicamina præcipuè diluentia, quæ innuuntur per pateram: Evacuatio humorum, maxime per ſanguinis miſſionem, quam innuit anguis pellem relinquendo: Ultimo caſus accidentalis, quies nempe in ſedile, denotans raſſegnationem (remotis quibuslibet curis) in placidiſſimam Dei voluntatem: Experrectus à ſomno veritatem phantaſmatis intellexi, illamque vobis ſubiicio, ulteriùſque progreſſus Auctores conſului ut, & methodum integram ſanitatem

tatem ſervandi, ac corpora lubricam ſanitatem habentia præſervandi mihi, omnibuſque indicarent, nec inanem laborem me ſuſcepiſſe agnoſco: ſcitè enim admodum ſcriptis mandavit Plato, teſte Maſſaria lib. 2., tria in primis eſſe capita ſervandæ valetudinis, ventrem ſcilicet cibis non replere, ad labores imprigum eſſe, & ſemen naturæ cuſtodire: Idem innuere videtur Galenus de ſanit: tuen:, dicens à recto, & legitimo ſex rerum nonnaturalium uſu ſanitatem conſervari, cujus præpoſterus, & illegitimus uſus morbos producit, idemque me docet cap. *99.* artis parvæ Medicum non poſſe alio modo præſervare corpora neutra, ne cadant in pejus, niſi prohibendo humorum malitiam, videlicet ne fiant lenti, vel craſſi, vel aquoſi, vel copioſi, vel nimium calidi, vel frigidi, mordaces, aut putridi, vel veneno affines, quia quando eſſent tales in exceſſu immedicabiles morbi fierent: Modus verò prohibendi ſupradicta erit ut lenti humores detergentibus tractentur, craſſi incidentibus, aquoſi incraſſantibus, copioſi minorantibus, calidi refrigerantibus, frigidi calefacientibus, mordaces contemperantibus, putredini obnoxii aperientibus, veneno verò affines bezoarticis: Aliam, idem Galenus de attenuante victu, tradit cautionem in gratiam illorum corporum lubricam ſanitatem habentium, dicens: Vidi Artritides quæ articulorum oſſa induraverant, difficultates ſpirandi inveteratas, Lienis, & quod magis eſt Jecoris tumores duros, tum comitiales incipientes, ſola victus attenuantis ratione obſervata curatos: & ratio adhiberi poteſt, quia ſi alimenta quam facillimè corpus noſtrum mutant eadem & corporum vitia mutare poterunt; quod omnibus pro conſervatione, & præſervatione menti, & cordi ſemper habendum. Qua de re cupienti ſe incolumen, & ſe reddere ſanum, quidam noſtrates Poeta ſcripſit.

Venere odiar, & haver l'alma lieta
A Dio ſi raccomandi, e alla Dieta.

FINIS.

IN-

INDEX.

I.

INductio ad Opus pag. 1.

I I.

De eſſentia & exiſtentia Medicinæ 2.

I I I.

Vitam per Medicinam prolungari poſſe probatur 3

I V.

Ars brevis vera Medicina, longa verò falſa 5.

V.

Cauſa multorum interitus 7.

V I.

Caſus fortuitus 10.

V I I.

Neceſſitas Sacramenti Pænitentiæ ad Corporis ſalutem probatur. 11.

V I I I.

Animi affectus quomodo lædant corpus 14

I X.

Oratio admonitoria ad vitæ & ſalutis amatores 15.

X.

Cæna liberalior, & prandium frugalius, ſanum & longæum hominem faciunt 17.

X I.

Voluntariæ purgationis nocumenta 20.

XII.

X I I.

Eſus Quadrageſimalium ciborum nocumenta inania demonſtrantur 22.

X I I I.

Epiſtola ad Infirmos 24.

X I V.

Epiſtola ad artis Tirones 26.

X V.

An Matrimonium condeceat corporis ſalutem, in quo probatur pars negativa 27.

X V I.

Probatur illius pars affirmativa 29.

X V I I.

Coitus quomodo, & quando ſalutaris 30.

X V I I I.

Mulieres Viris longævïores, & cur?)
Mortis quænam cauſæ inevitabiles) 31.

X I X.

Morbi magni curatio an magis per venæ ſectionem)
an per purgationem obtineri poſſit: ubi)
De Medicamenti opportunitate:) 34.
De ſanguine mittendo, cautela, ac)
De intempeſtivo Cardiacorum abuſu)

X X.

Morborum Curatio irrita, niſi & membrorum curatio fiat 36.

X X I.

Vinum an febricitantibus offerendum 37.

X X I I.

Vtrum Mulier Hydropica Aſcitica ſit habilis Matrimonio, & generationis capax 39.

X X I I I.

De natura Hydropis 40.

X X I V.

Probatur ejus pars negativa 41.

X X V.

De Conceptione & ſterilitate 41.

X X V I.

De fætus nutritione 42.

X X V I I.

Cauſa proxima abortus 43.

X X V I I I.

Probatur illius pars affirmativa 44.

X X I X.

Infortunati Medici quærela 45.

X X X.

Sanguinis miſſio in variolis & morbillis perſæpe neceſſaria, ubi aliqua de ſanguine in pueris mittendo annectuntur
Variolarum, & morbillorum cauſa 47.

X X X I.

Mors ſubita à fruſtuli carnis eſu 50.

X X X I I.

Ridicula pruritus hyſtoria 52.

X X X I I I.

An, & quare ſcabies & humor ſalſus ſint contagioſi 54.

XXXIV.

Caſus portentoſus 55.

XXXV.

Epilepſia per conſenſum à ventriculo, & ejuſdem ventriculi oris læſio per conſenſum à cerebro
An Epilepticus diſpenſari poſſit ad Sacerdotium 57.

XXXVI.

Mortis ſubitæ, ſeu apoplexiæ cauſæ familiares, & tempus invaſionis peculiare 59.

XXXVII.

Portentoſa nec ſatis prædicabilis corporis convulſio Emproſtotonos dicta
Mulier fortis 62.

XXXVIII.

Viſus geminatus, ubi una res duplex apparet 64

XXXIX.

Sanguinis mictio & vermes per urinam excreti examinantur 67.

XL.

Polutio involuntaria 69.

XLI.

Vomitionis admirabilis obſervatio 70.

XLII.

Delirii Melancholici curatio idealis 71.

XLIII.

Cauſonis curatio per aquam frigidam 73.

XLIV.

Curatio tranſplantatoria 74.

XLV.

X L V.

Hæmoptiſis extraordinario methodo curata) 75
Pediculorum virtus)

X L V I.

Artritidis curatio particularis 76.

X L V I I.

Obſervatio antiquartanaria 77.

X L V I I I.

Intempeſtivi Kinæ Kinæ *uſus nocumenta*)
De obſtructione, ac inflammat. Meſenterii cum affe-ctibus ſpaſmodicis)
De Kinæ Kinæ *effectibus, & an ante, ac poſt ejus uſum corpus ſit purgandum*) 78.
Vbi ridicula hyſtoria de Vrinæ ſuppreſſione)

X L I X.

Sincopes periodica notatu digna 82.

L.

Colica ſpaſmodica & portentoſa 83.

L I.

Altera colicæ hyſtoria 85.

L I I.

Aſtma particulare 85.

L I I I.

Septem morborum ſporadicorum deſcriptio atque curatio 87.

L I V.

Parotydum curatio 89.

L V.

Empiematis curatio 89.

L VI.

De Doloribus 90.

L V I I.

De Podagra 91.

L V I I I.

De Inflammationibus 92.

L I X.

An pallidus color ſemper ſit malus, ubi innuitur cur oculi primò afficiantur in morbis, & quomodo colores inorborum naturam indicent 93.

L X.

Dyſenteriæ ac ſcorbuti Militum ſomniata cauſa 95.

L X I.

Hectica deplorata: Morituri non ſunt præſidiis deſerendi
Mulieres cur duriores ſortis impetus ſuſtineant 96.

L X I I.

Mania ab impuro amore 98.

L X I I I.

Somnambuli hyſtoria & curatio 99.

L X I V.

Abortus 100.

L X V.

Tres ſunt in morbis indicationes, quarum quælibet diverſis indiget auxiliis
In morbis levibus non fidendum
Feb. tertianæ commutatæ in malignam cum delirio, fluxu hepatico, lienteria, tuſſi, ſanguinis ſputo, tabe, exemplum, atque curatio 101.

L X V I.

Conſultatio de particulari ac forſan inaudito Comate 103.

L X V I I.

Reſponſum ad eumdem 107.

L X V I I I.

Nyctalopia 110.

L X I X.

Vitæ longo tempore ſine cibo protractæ exemplum rarum, & fortaſſe noſtri ſæculi unicum
Vermium terribilia ſymptomata
Cardialgia, motus convulſivi, & deglutio abolita 111.

L X X.

De Polypo: Quilibet in arte ſua manere debet 115.

L X X I.

Hernia inteſtinalis: Mali effectus ſomnii 117.

L X X I I.

Febris lypiria 118.

L X X I I I.

Aſtma convulſivum & tabes dorſalis, & ptiſis initium 119.

L X X I V.

Sanguinis ſputum quando ſalubre, & quando læthale, ejuſque curationis cautela 121.

L X X V.

Tremor particularis mandibulæ inferioris cum ſpaſmo cinico non continuo, ſed interpolato 122.

L X X V I.

Variolæ malignantes 123.

L X X V I I.

Pedum debilitas & Oculorum lippitudo 125.

L X X V I I I.

Cardialgia cum convulſionibus totius Corporis 126.

L X X I X.

Patientia, tempus, & non interuptus remedii ſubſtantifici uſus perſæpe incurabiles morbos ſanant: Scorbuti hyſtoria 127.

L X X X.

Scorbuti altera hyſtoria hyſterico coniuncta 129

L X X X I.

Scorbuti tertia hyſtoria 131

L X X X I I.

Pul. pirii virtus in pleuritide 132.

L X X X I I I.

Pleuritis intra 24. horas curata 132.

L X X X I V.

Cantharidum effectus & curatio 133.

L X X X V.

Erroris figura: Arſenici effectus & curatio 134.

L X X X V I.

Opii effectus, & curatio 134.

L X X X V I I.

Iuventutis imago: Minii effectus & curatio 135.

L X X X V I I I.

Figura hominis ambigui: Veneni cauſæ intus geniti, vel ab extra ſuſcepti, ſigna, & diſtinctio 136.

L X X X I X.

Obeſitatis remedium facile atque ejus effigies 137.

X C.

Imago ſomni: Cur ſomnus diurnus ſit fugiendus 138.

XCI.

Pul. ſympatici vera deſcriptio 139.

XCII.

Amor Virtutis: Meditationes, ac ſtudia valde confe-runt ſanitati 139.

XCIII.

Peregrinationis effigies: Aeris humiditas quomodo metiri poſſit: Cautio adhibenda in uſu ſpiritus Vitrioli: Antiepilepticum ſatis validum 140.

XCIV.

Iracundiæ ſymbolum: Num ira ad ſalutem conferat, ubi innuitur quando excitanda & quando non 142.

XCV.

Morbus ex ſtudio, curis, vigilia, Venere, & quavis alia cauſa, quæ inanitionem inferre nata ſit, quomodo curandus: Memoria quomodo corroboranda 143.

XCVI.

Regio mutata mores, & fortunam mutat, & in morbis longis qua ratione conferat 144.

XCVII.

Guſtus idea 145.

XCVIII.

Diverſitas Regionum idem perſæpè non admittit remedium 145

XCIX.

Inanis operis terminus, atque effigies 146

C.

AVGVSTO publicam, MECÆNATI tutam, OMNIBVSQVE longævam ſalutem auſpicatur auctor Salutis conſervatio, & Corporum lubricam ſanitatem habentium præſervatio quomodo obtineri poſſit. 148.

FINIS.

Cum propter Auctoris occupationes nonnulla huius opuſculi folia alienis manibus obſtetricanda commiſſa fuerint, aliquæ in illis irrepſerunt mendæ, quæ partim calamo emendatæ ſunt, partimq; Lectoris prudentiæ ut infra corrigendæ ſubiiciuntur.

	ERRATA	CORRIGE.
Pagina 10.	infauſtam domum	infauſta domo
24.	eſſent	eſſet
27.	inculare	inculcare
29.	fine	ſine
31	plureſpque	plureſque
53.	abiit	abit
64.	remittere	remitti
71.	ſupenſurus	ſuſpenſurus
72.	contendat	contendebat
88.	inhæreſſet	inhæreret
100.	præclaris	præclara
108.	vetuſtatemq;	venuſtatemq;
110.	nyctalogia	nyctalopia
111.	iteritura	interitura
112.	momentum	momento
123.	unam cum	una cum